SYNOPSIS
THEOLOGIÆ PRACTICÆ
COMPLECTENS ET EXPLICANS
PRINCIPIA GENERALIA
Ad resolvendos conscientiæ casus scitu necessaria.

DIGESTA EST PER QUÆSTIUNCULAS
QUÆ SERVIRE POSSINT
CONSUETIS EXAMINIBUS
ORDINANDORUM CONFESSARIORUM,
Promovendorum ad Beneficia Parochialia per Concursum conferri solita &c.

AUCTORE
P. JOANNE BAPT. TABERNA,
Societatis JESU Theologo.

PARS TERTIA.

DUACI,
Ex Officinâ Typographicâ Viduæ B. BELLERI, Regis Typographi, Anno 1698.



PARS TERTIA

DE SACRAMENTIS IN GENERE ET SPECIE.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAPUT I.

De naturâ Sacramentorum.

Q. 1. *Quid Sacramentum, & quotuplex?*

R. Sacramentum est signum rei sacræ in quantum est sanctificans homines. S. Tho.

Quæ definitio ut sit completa subintelligi debent aliquot conditiones ex parte generis definiti, nempe ut sit signum sensibile, Sacrum, stabile, seu permanēs, & à Deo institutum.

Est autem signum rei sacræ, ideſt gratiæ habitualis hominem formaliter ſanctificantis.

Sacramentum in genere dividitur in Sacramentum novæ & antiquæ Legis, quæ in eo differunt, quod Sacramenta antiquæ Legis, qualia erant Circumciſio, Conſecratio Sacerdotum, Eſus Paſchalis &c. non cauſarent gratiam, ſed tantùm illam ſignificarent nobis conferendam per Paſſionē Chriſti. Sacramenta verò novæ Legis eam cauſent, non tamen phyſicè, ut quidam volunt, ſed moraliter; in quantùm ex inſtitutione Chriſti vim habent movendi Deum ad dandam infallibiliter gratiam cuilibet ſine obice ea ſuſcipienti, tanquam ſi eſſent actiones ab ipſo Chriſto immediatè procedentes.

Unde à PP. Sacramenta novæ Legis dicuntur vaſa Sanguinis & meritorum Chriſti quòd contineant in ſe pretium illorum.

Sunt autem novæ Legis Sacramenta ſeptem, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, Matrimonium.

Q. 2. *Quibus Sacramenta eſſentialiter perficiantur?*

R. Perfici rebus & verbis tamquam materiâ & formâ. Patet ex Florentino in Decreto Eugenii, ubi expreſsè dicitur: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicèt rebus tanquam materiâ, verbis tamquam formâ, & personâ miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Eccleſia; quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Hinc eſt illud Auguſtini tract. 80. in Joannem: *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Nota me dixiſſe Sacramenta perfici, non verò conſtare, aut componi verbis &c. ob Euchariſtiam, quæ poſt conſecrationem remanet in eſſe Sacramenti, etſi non permaneant verba, vi quorum perficitur iſtud Sacramentum.

Dices Sacramentum Matrimonii perfici potest solâ scripturâ, aut nutu.

R. Ea esse verba virtualia, in quantùm sunt signa externa sufficienter expressiva conceptuũ; quod sufficit pro matrimonio, sicut pro aliis contractibus.

Q. 3. *Qualis unio requiratur inter materiam & formam Sacramenti?*

R. Non requiri conjunctionem physicam, sed sufficere moralem, majorem aut minorem pro Sacramenti diversitate.

Maxima requiritur conjunctio in confectione Sacramenti Eucharistiæ; in quâ ly *hoc* significat actualem præsentiam temporalem materiæ quæ demonstratur, quamvis patiatur aliquam distantiam localem.

In Baptismo, Confirmatione, Extremâ-Unctione, & Ordine non requiritur tam stricta coëxistentia; nam qui v. g. puerum priùs ablueret vel ungeret, & mox formam pronuntiaret; vel priùs formam pronuntiaret, & mox ablueret, ungeret &c. conficeret Sacramentum.

Expedit tamen quantum fieri potest, simul utrumque ponere.

In Sacramento pœnitentiæ potest quandoque absolutio satis diu differri. Sicut in judiciis absolutio aut condemnatio sæpè diu sequitur causæ examen.

Q. 4. *Qualia esse debeant verba ad confectionem Sacramentorum?*

R. Verbum concionatorium, quale requirunt hæretici, neque est necessarium, neque sufficit, sed requiritur, & sufficit consecratorium seu rituale.

Patet ex Florent. quod singulorum Sacramentorum determinatas formas præscribens affert ... isè verba consecratoria. Et hic fuit unanimis ...us SS. Patrum, & perpetua Ecclesiæ praxis, ut videre est apud Bellarminum.

Q. 5. *Quæ mutatio materiæ aut formæ invalidet Sacramentum?*

R. Mutationem seu materiæ, seu formæ substantialem invalidare Sacramentum; mutationem verò tantùm accidentalem non invalidare.

Est autem mutatio substantialis cùm non ponitur vera substātia materiæ, aut corrumpitur verus sensus formæ.

Mutatio tantùm accidentalis cùm retinetur vera substantia materiæ, aut verus sensus formæ.

Nota mutationem formæ in Sacramentis fieri posse sex potissimùm modis. 1. Mutatione verborum in alia. 2. Eorum transpositione. 3. interruptione. 4. Additione. 5. Detractione. 6. Legitimorum verborum corruptione. Ut autem dignoscatur quæ mutationes in particulari corrumpant verum sensum formæ, vel non corrumpant, ponuntur sequentes regulæ.

Primò Mutatio verborū in alia est substantialis; si non retineatur sensus per se à Christo intentus v.g. si pro formâ Baptismi adhibeantur verba, quæ actum baptizandi, seu abluendi non significent, ut si quis dicat *ego te amplector in nomine Patris &c.*

Erit autem mutatio tantùm accidentalis.

1. Si sit tantùm mutatio idiomatis. Nam quocumque idiomate pronuntietur forma, si retineatur sensus, est valida. Item si pronuntietur partìm uno v. g. latino, partìm alio, v. g. gallico.

2. Si verbo formæ consueto substituatur aliud omninò synonimum, ut si verbo *baptizo* constituatur ly *abluo*.

3. Si quis pro ly *absolvo te* diceret *absolvo dominationem vestram, reverentiam vestram, &c.*

4. Si mutetur activum in passivum, hinc Græci utuntur hâc formâ: *baptizatur, seu baptizetur servus Christi &c.*

Secundò Transpositio verborum plerumque impedit valorem Sacramenti: ut si dicas, *ego in nomine Patris &c. te baptizo.* At si diceretur *ego in te*

baptizo nomine Patris &c. non maneret idem sensus, adeóque esset forma invalida.

Tertiò Interruptio si sit brevis, non invalidat Sacramentum: ut si quis baptizans, postquam dixit, *ego te baptizo*, aliquantulum ex debilitate, tussi, sternutatione, &c interquiescat, aut petens aquam dicat, *date aquam*, statimque prosequatur: *in nomine Patris & Filii &c.*

Si verò interruptio sit diuturna, & tanta, ut verba priora non censeantur facere unam orationem cum posterioribus, non valebit Sacramentum. Quod faciliùs continget, si minister dum formam interrumpit ad alia impertinentia se cōvertat. Quando autem id contingat, pendet ex circumstantiis, & judicio morali. Vide Cajet., Sotum, Layman &c.

Monet Coninch, cavendam quantùm fieri potest, interlocutionem, quæ sæpe est periculosa.

Quartò Additione verborum irritatur Sacramentum, si formæ totaliter pronuntiatæ aliquid superaddatur tanquam pars illius, & tamen illam falsificans, seu determinans ad significationem à sensu Christi alienam v. g. *Hoc est Corpus meum phantasticum: Baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritûs Sancti imaginarii.*

Item si quis Arrianus diceret. *Baptizo te in nomine Patris majoris & Filii minoris &c.* quia perinde est ac si diceretur: *In nomine Patris fictitii, & Filii fictitii* &c.

Non irritatur si quis baptizans dicat: *commendo te B. Virgini, & te baptizo in nomine Patris &c.* vel si quis dicens. *Ego te baptizo &c.* in fine addat *B. Virgo te adjuvet.*

Quòd si in fine addatur: & in nomine B. Virginis, S. Ioannis &c. res est dubia, quia sic videtur cōferri Baptismus in authoritate B. Virginis sicut Trinitatis.

Similiter non irritatur, si quis dicat: *Baptizo te in nomine Patris omnipotentis & Filii unigeniti, &*

Spiritûs Sancti qui ab utroque procedit.

Sextò De detractione seu omissione vocum dicendum cum proportione sicut de additione.

Hinc si omissis vocibus, *ego*, *enim*, *tuis*, dicas *te baptiso &c. Hoc est Corpus meum* : *absolvo te à peccatis &c.* valet Sacramentum, quia non destruitur sensus à Christo intentus: secùs si in Baptismo omitteretur una ex personis, in consecratione vox *meum &c.*

Sextò Corruptio vocum tantùm facit mutationē accidentalem, quando voces corruptæ conjunctæ cum aliis, in his circumstantiis faciunt in animis audientium sensum à Christo intentum, licet seorsim spectatæ non habeant eam significationem quam haberent integræ.

Hinc si quis ex linguæ præcipitantiâ unam alteramve syllabam absorbeat; si quis sine aspiratione dicat: *oc est Corpus meum*; si ex linguæ vitio litteram unam mutet in aliam : v. g. *Hoc est Colpus meum* ; *in nomine Patlis*, *& Filii*, *& Spilitûs Sancti &c.* si ex imperitiâ malè pronuntiet : v. g. *In nomine Patri*, *& Fili*, *& Spiritû Sancti*, valet Sacramentum.

Immò Zacharias Papa, capit. *retulerunt* 86. de Consecrat. dist. 4. declaravit baptizatos à quodam Sacerdote sub hâc formâ : *baptizo te in nomine Patria & filia*, *& Spiritûs Sancta.* Non esse rebaptizandos, si ille qui baptizat, non errorem introducens aut hæresim, sed ex solâ ignorantiâ linguæ latinæ ita pronuntiasset.

Nota ex Suares, corruptionem illam ex quâ non resultat alius sensus legitimus distinctus à sensu formæ, regulariter inducere solam mutationem accidentalem, ut in exemplo jam allato : at si resultet aliquis alius sensus facilè inducitur mutatio substantialis, quamvis corruptio non sit valde notabilis, ut si dicatur ; *in nomine matris & filii &c.*

Ex his coll. eum qui solet adhibere attentionem ut integrè omnia pronuntiet non debere esse sollicitum, nec scrupulosè formam repetere, si fortè ex inadvertentiâ levis aliqua vocum corruptio irrepserit, dicendo v. g *Hoc es Corpus meum, in nomine Patri &c.* quia leves illæ corruptiones ex circumstantiis corriguntur.

Q. 6. *Quale sit peccatum mutare materiam, aut formam Sacramentorum?*

R. Esse peccatum mortale sacrilegii si quis scienter, & deliberatè mutet substantialiter materiã, aut formã quia sic irrogatur gravis irreverentia Sacramẽto: at si mutatio sit tantùm accidẽtalis, secluso contemptu, & pravâ intentione, erit tantùm venjale; nisi mutatio esset valde notabilis, qualis communiter censetur esse in consecratione calicis, omissio horum verborum: *novi & æterni testamenti* &c.

Q. 7. *An in Sacramentis conferendis licitum sit uti materiâ aut formâ dubiâ?*

R. Id esse graviter illicitum extra casum necessitatis: quod addo, quia sæpè ubi adest necessitas, non tantùm licet, sed est etiam gravis obligatio ministrandi Sacramentum sub materiâ vel formâ dubiâ: v. g. dum urget necessitas baptizandi, nec adest materia certa.

An autem quando liceat in administratione Sacramentorum sequi opinionem probabilem relictâ tutiore, diximus in Tract. de Consciẽtiâ cap. 5. q. 1.

Q. 8. *An liceat formam repetere supra eandem materiam?*

R. Non licere, nisi minister rationabiliter dubitet de validitate formæ jam semel prolatæ. Ratio est quia tunc secunda formæ prolatio non habet suum effectum, adeoque frustra adhibetur cum irreverentiâ Sacramenti.

Quòd si minister rationabiliter dubitet, an prima formæ prolatio fuerit sufficiens, repeti po-

test; imò & debet sub conditione saltèm tacitâ.

Monendi tamen sunt scrupulosi qui de omnibus dubitant, ne id facilè faciant ob periculum irreverentiæ, aut notabilis indecentiæ.

CAPUT II.

De Ministro Sacramentorum.

SUppono Deum esse causam primariam, seu principalem Sacramentorum, Christum verò quâ hominem, acceptâ à Deo potestate, per se immediatè, non mediatè per Apostolos, omnia & singula novæ Legis Sacramenta instituisse, non tamen singulorum materiam & formam designasse secundùm ultimam rationē specificam: nam ut suo loco videbitur, in aliquibus Sacramentis solùm determinavit materiam aut formam in genere, seu secundùm gradum aliquem specificum subalternum, relictâ ulteriori determinatione arbitrio Ecclesiæ. Ut patebit in Sacramento Ordinis, & Matrimonii.

Effectus principalis Sacramentorum est gratia sanctificans, quam causant ex opere operato, hoc est, sic ut secluso obice, gratia conferatur præcisè ratione ipsius operis exteriùs positi juxta Christi institutionem.

An autem causent gratiam physicè, ut volunt passim Thomistæ, item Suares Bellar. &c. An moraliter, ut alii, non pertinet ad nostrum institutum.

De ministris singulorum Sacramentorum in particulari dicetur suis locis. Nunc de his in genere.

Q. 1. *An ad valorem & effectum Sacramentorum necessaria sit probitas aut fides ministri?*

R. Negativè. Est de fide ex Tridentino sess. 7. can. 12. *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modò essentialia quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit.* Et can. 4. de Baptismo ibidem ubi dicitur anathema ei, qui dixerit Baptismum ab hæreticis collatum cum formâ & intentione requisitis non esse verum Baptismum.

Quod autem de Baptismo ibi dicitur, extendi debet ad alia Sacramenta, & verò Trident. can. 12. citato definiēs generaliter ministrum in peccato mortali existentem, conficere Sacramentum, si servet omnia essentialia, non excipit peccatum hæreseos.

Nota tamen excommunicatum hæreticum non validè conferre Sacramentum pœnitentiæ, non ob defectum gratiæ, aut fidei præcisè, sed ob censuram, quæ illum privat jurisdictione requisitâ ad validè absolvendum.

Q. 2. *An & quale peccatum sit ministrare Sacramenta in statu peccati mortalis?*

Nota 1. Ministrum Sacramenti alium esse ad id specialiter consecratum, aut ab Ecclesiâ specialiter deputatum (qualis censetur esse qui solemni ritu baptizat) alium qui Sacramentum quidem conficit, sed non est ad hoc consecratus, aut specialiter deputatus.

Nota 2. aliud esse conficere, aliud ministrare Sacramenta. Nam aliud est conficere, aliud ministrare Sacramentum Eucharistiæ. In aliis tamen Sacramētis ipsa confectio est simul ministratio. His positis.

R. 1. Minister qui in statu peccati mortalis conficit aliquod Sacramentum ad quod est consecratus, aut specialiter deputatus, per se loquendo peccat mortaliter. S. Tho. aliique Theologi communiter.

Dixi 1. *per se loquendo*, quia per accidens excusari potest malus minister:

1. Ratione invincibilis ignorantiæ aut inadvertentiæ ad suum malum statum, vel ad obligationem conficiendi Sacramentum in statu gratiæ.

2. Ratione urgentis necessitatis, ut si sit periculum ne quis moriatur sine Baptismo, aut sine absolutione, dum Sacerdos occuparetur in excitando in se actu contritionis; tunc enim non tantùm potest, sed etiam tenetur omisso suo actu contritionis consulere alterius saluti.

Dixi *qui conficit Sacramentum*, non verò qui administrat, quia multi censent non esse mortale administrare, seu distribuere Eucharistiam in mortali, eo quòd ea actio non sit confectio Sacramenti, neque fiat nomine Christi, adeòque nec sit collativa gratiæ, sed sit mera applicatio Sacramenti ad os suscipientis, quod demùm causat gratiam, cùm in stomachum trajicitur. Ita Vasq. Nunnius, Mæracius, Amicus, Lugo, Sylvius, Diana, & alii apud ipsum p. 1. tract. 4. de celebratione Missarum. Resol. 23.

Alii tamen non minùs probabiliter, & ferè communiùs censent esse mortale, quia gravis est irreverentia, si minister specialiter ad id deputatus, Eucharistiam in quâ Christus realiter continetur, tam indignè tractet, & dispenset in statu peccati mortalis.

Collige Sacerdotem in malo statu facientem Sacrum, non solùm peccare mortaliter dum communicat, sed etiam dum consecrat in malo statu. Nec satisfaceret in confessione dicendo se communicasse in mortali, quia sic non exprimeret peccatum commissum in consecratione: satisfaceret tamen dicendo se fecisse Sacrum in malo statu, quia in eo comprehenditur tam consecratio quàm communio.

Nota eum qui existens in peccato mortali confecturus est aliquod Sacramentum, non teneri præ-

mittere confessionem, sed sufficere quòd eliciat, vel saltèm prudenter putet se elicere perfectam contritionem, quia nullum extat positivum præceptum de confessione ad hoc faciendâ, & sublato per contritionem peccato, cessat irrreverentia erga Sacramentum.

Idem dicendum de eo qui distribuit Corpus Christi in mortali, in sententiâ dicentium id esse mortale.

In praxi tamen suadendum, ut quantum fieri potest, præmittatur confessio, tum ad majorem certitudinem status gratiæ, tum ad vitandum scandalum, casu quo malus status ministri esset aliis notus.

Cæterùm extat præceptum positivum de præmittendâ confessione ante sumptionem Eucharistiæ, ei qui est in malo statu, neque ad id sufficit elicuisse actum contritionis. Unde dicendum existentem in mortali non posse Sacrum facere, quin præmittat confessionem, ob adjunctam communionem.

R. 2. Qui in statu peccati mortalis conficit Sacramentum, ad id non consecratus, aut specialiter deputatus, probabiliter non peccat mortaliter. S. Tho. Sylvest. Sylvius Diana p. 3. tract. 4. resol. 10. & alii communiùs; quamvis oppositum quod tenent Vasq. Lugo, & alii sit etiam valde probabile ob irreverentiam, quæ tunc committitur erga Sacramentum.

Hinc sequitur 1. Laïcum in mortali baptizantem non peccare mortaliter, quamvis non ita urgeat baptizandi necessitas, quin possit commodè præmittere confessionem, aut actum contritionis.

2. Contrahentes matrimonium in peccato mortali, licèt peccent, quatenus illud indignè suscipiunt, non tamen peccare quatenus illud ministrant (si quidem contrahentes sint ministri istius

Sacramenti) quia nempe non sunt ad illud specialiter deputati.

3. Sacerdotem saltem non Parochum, ex necessitate absque solemnitate baptizantem, non teneri sub mortali id facere in statu gratiæ, quia eo casu non agit tamquam minister Ecclesiæ ad id ex officio deputatus, sed ut privatus ad subveniendum necessitati proximi, sicut faceret Laïcus. S. Tho. Cajet. Suares, Præpositus, Martinon, Wigers. &c.

Addunt Suares, Sylvius &c. Sacerdotem privatim baptizantem, etiam citra urgentem necessitatem, v. g. ad assecurandum infantem dum differtur Baptismi Solemnitas, si id faciat in peccato mortali, non peccare mortaliter ex eo capite: si tamen id faciat sine justâ causâ à Superioribus approbatâ, peccare ex alio capite, quia non servat solemnitates præceptas.

Q. 3. *An Confessarius audiendo confessiones in malo statu, tot committat peccata, quot audit confessiones?*

R. Si illas audiat in eodem loco, & tempore continuo, probabiliter non esse nisi unicum moraliter peccatum, sicut in eo qui in prandio unico, die veneris pluries carnes comedit: Lugo de pœnit: disp. 16. sect. 14. §. 2. num. 558. Gobat. tract. 7. casu 5. n. 199.

Juxtà hanc sententiam talis in confessione satisfaciet dicendo: per tantum circiter tempus excepi confessiones existens in mortali.

Idem est de Episcopo conferente pluribus ordines; & à fortiori de eo qui in mortali distribuit pluribus Corpus Christi, supposito quod sit mortale id facere in mortali.

Ratio est, quia licèt physicè sint diversæ confectiones, aut administrationes Sacramentorum, quia tamen ex uno animi impetu fiunt, censentur morali hominum judicio esse unica voluntatis determinatio.

Bonacina tamen & nonnulli alii volunt toties peccari mortaliter, quot audiuntur confessiones &c. Et quantum fieri potest in confessione exprimendum esse illarum numerum.

Q. 4. *An status gratiæ requiratur toto tempore quo Confessarius audit confessiones; an solùm quando profert formam absolutionis?*

R. Probabiliter sufficere, si sit in statu gratiæ dum absolvit, quia licet ipsa etiam confessio sit pars essentialis Sacramenti æquè ac absolutio; Sacerdos tamen quamdiù audit confessionem, habet se tantùm passivè: at verò dum absolvit concurrit activè ad gratiæ productionem. Vide Lugo de Sacramentis disp. 8. sect. 9.

Q. 5. *Quid si inter audiendum aliquam confessionē incidat in peccatum* v. g. *pollutionem, delectationem morosam, sollicitationem ad turpia &c.*

R. Eum debere antequam absolvat elicere contritionem.

Q. 6. *An & quale sit peccatum conficere sacramentalia, exercere actum sui Ordinis qui non sit Sacramentum &c. in statu peccati mortalis?*

R. Per se loquendo non esse peccatum mortale Suar. Vasq. Filiuc. Præpos. Bonac. Lugo &c. quamvis in similibus plerumque interveniat peccatum veniale.

Hinc non est peccatum mortale in malo statu benedicere aquam, panem, campanas, altaria &c. conferre primam tonsuram, benedicere Abbates, consecrare Ecclesias &c.

Item Hostiam consecratam levare de terrâ, aliò transferre, deferre in supplicatione, aut eâ populo benedicere &c.

Majus dubium est de Diacono & Subdiacono officio suo fungentibus in Officio solemni, quos peccare mortaliter, si id faciant in malo statu, docent Sylvest. Navar. Tolet. Sylvius Gonet. &c.

Negant Sotus, Valentia, Suares, Vasques, Lugo & alii communiùs, quia in eorum ministeriis non intervenit confectio Sacramenti.

Idem dic de consecratione chrismatis pro Confirmatione & benedictione olei pro Extremâ-unctione: Sotus, Suares, Vasq. Præpos. Isambertus, & alii communiùs contra Lugo, qui tenet Episcopum consecrantem chrisma, & benedicentem oleum infirmorum in statu peccati, peccare mortaliter, eo quòd per actiones illas sacramentales, licèt non perficiatur, tamen inchoatur Sacramentum Confirmationis & Extremæ-Unctionis.

Q. 7. *An liceat suscipere aut petere Sacramentum ab eo qui scitur in administratione peccaturus?*

R. 1. Non licet suscipere aut petere ab eo, qui scitur hîc & nunc absolutè non posse illud conferre sine peccato, v. g. ab excommunicato non tolerato: exceptis tamen Sacramento pœnitentiæ, quod in articulo mortis peti potest & suscipi à quolibet Sacerdote, & Baptismo qui in eo articulo peti potest à quolibet.

Ratio responsionis est quia generaliter non est licitum alteri cooperari, vel illum inducere ad actionē quam hîc & nunc nō potest ponere sine peccato.

R. 2. Si sit in potestate ministri, hîc & nunc Sacramentum conferre sine peccato, licitum est ex causâ rationabili illud ab eo suscipere; imò etiam petere, quamvis moraliter constet quod sit in ejus collatione peccaturus.

Prob. Quia generaliter loquendo ex causâ rationabili, licitum est actionem de se bonam & honestam ponere, ex quâ prævidetur secuturum peccatum alterius per accidens, & ex merâ illius malitiâ.

Dico *Ex causâ rationabili*; quia charitas obligat non præbere alteri occasionem ruinæ spiritualis absque justâ causâ.

Hinc si alius minister commodè haberi potest, non licet illum adire qui prævidetur peccaturus.

Causa autem rationabilis est v. g. si urgeat præceptum confitendi aut communicandi, ut in Paschate, si lucrandum sit Iubilæum vel Indulgentia plenaria, &c. imò Suares putat ipsam Sacramenti utilitatem ordinariam quæ consistit in augmento gratiæ, esse sufficientem, ut deficiente alio petatur à malo ministro, modò hic sit parochus aut alius ad ministrãdum ex officio obligatus, vel actu paratus sive expositus ad tale Sacramentum ministrandum.

Q. 8. *An liceat Sacramentum ministrare indignis?*

Indigni hic dicuntur non præcisè qui sunt in statu peccati mortalis, nam alioqui nunquam liceret conferre Baptismum, nec Sacramentum pœnitentiæ existentibus in mortali, cùm tamen ea dicantur Sacramenta mortuorum, hoc est existentium in mortali; sed universaliter, ii sunt indigni qui carent dispositione requisitâ vel ad valorem Sacramenti, vel ad effectum illius recipiendum.

R. Qui ministrat Sacramentum ei, quem novit esse indignum, per se loquendo committit peccatum virtute duplex, nempe contra religionem, seu reverentiam debitam Sacramento, & contra charitatem, cooperando peccato alterius.

Dixi *Per se loquendo*, quia per accidens fieri potest ut non sit peccatum, v. g. si indignitas suscipientis sit occulta, aut tantùm nota ex confessione Sacramentali, & is publicè accedat, nec possit repelli sine scandalo & infamiâ, ut contigit quando Christus ipsi Iudę Eucharistiam dedit.

Q. 9. *An supposito quòd contrahentes sint ministri Sacramenti Matrimonii (qua est sententia S Tho. Scot, & aliorum communissima) peccent conjuges contrahendo cum comparte existente in peccato mortali?*

R. Negativè. Rationem affert Lugo, quòd minister Sacramenti Matrimonii non sit persona


publica, ficut sunt ministri aliorum Sacramentorum, quibus proinde ex officio competit ritè distribuere Sacramenta, & consequenter cognoscere merita vel demerita eorum, quibus ea bona distribuunt; sed agit tanquam persona privata celebrans contractum, qui proinde solùm debeat attendere ad utilitatem, & commodum proprium.

Dices: laïcus, quamvis sit homo privatus, si ex necessitate adultum baptizet, tenetur cavere ne Baptismum conferat indigno seu indisposito; perinde ac parochus, vel alius ex officio baptizans; ergo similiter conjux respectu compartis.

R. Nego consequentiam: disparitas est 1. quòd in casu antecedentis, laïcus, licèt sit persona privata, substituatur tamen in locum ministri publici, & consequenter subeat ejus obligationem quoad hoc debitum non ministrandi indigno; quod non fit in ministro matrimonii.

2. Laïcus baptizans per se & directè ponit actionem, quæ ex primariâ sui institutione Sacramentalis est: conjuges autem ministrant quidem sibi invicem Sacramentum matrimonii, sed tantùm indirectè, & velut per accidens, in quantùm ineunt contractum civilem, qui de se, & ex primariâ sui institutione non est actio sacramentalis, sed à Christo elevatus est ad esse sacramentale.

Col. Parochum assistentem contrahentibus matrimonium in peccato, cùm non sit minister (ut hic supponitur) non incurrere peccatum indignæ ministrationis; teneri tamen tum ex charitate, tum ratione officii, eos non admittere in eo statu, si sine notabili incommodo repelli possint.



CA-

CAPUT III.

De intentione requisitâ ad valorem Sacramenti.

CErtum est requiri aliquam intentionem ministri, quia alioqui ebrius, & dormiens pronuntians verba sacramentalia, conficeret Sacramentum, quod nemo dixerit.

Q. 1. *Quid debeat minister intendere ad valorem Sacramenti?*

Lutherani volunt sufficere intentionem proferendi verba, & ponendi actionem externam Sacramenti quomodocumque, etiam jocosè & irrisoriè.

Ad illos proximè accedunt, Catharinus, Scribonius, & nonnulli alii dicentes sufficere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & eo modo quo facit Ecclesia, quoad actum exterium, v. g. abluendi, & proferendi verba prout exteriùs fit ab Ecclesiâ.

Hinc dicunt validum esse Sacramentum, si exteriùs res videatur fieri seriò, & non joco, licèt minister habeat interjùs positivam nolitionem faciendi quod facit Ecclesia, aut Christus instituit, quoad rem significatam.

R. Ad valorem Sacramenti requiritur in ministro intentio faciendi Sacramentum, vel formaliter & explicitè, vel saltèm virtualiter & implicitè intendendo facere quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit, non solùm quoad actum externum, sed etiam quoad rem significatam.

Prob. 1. Ex Trid. sess. 7. can. 11. *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem, saltèm faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Sess. 14. cap. 6. dicitur absolutio Sacerdotis esse ad instar actûs judicialis, quo ab ipso, velut à judice sententia pronuntiatur: nec debere pœnitentem sibi blandiri quasi esset absolutus, si Sacerdoti animus seriò agendi, & verè absolvendi desit.

Item ex Florent. in decreto Eugenii, ubi dicitur: *hec omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, & personâ ministri, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.*

Prob. 2. Ratione: quia ad valorem actuum moralium, quales sunt actiones sacramentales, non satis est quòd operans ita se gerat exteriùs, quasi seriò rem ageret; sed etiam requiritur ut habeat animum illam verè & seriò agendi: nam ut communiùs docetur verba promissoria exteriùs prolata non sufficiunt ad inducendam obligationem in foro interno, nec donatoria ad transferendum dominium sine internâ intentione &c. Et Ecclesia matrimonium sine interno consensu initum semper pro nullo habuit, uti & Professionem Religiosam fictè emissam, licèt in foro externo habeatur pro validâ.

Objici solet factum S. Athanasii, qui alios pueros ludens baptizavit, quem Baptismum Alexander, Patriarcha Alexandrinus, declaravit esse validum.

Verùm respondetur Athanasium tunc habuisse usum rationis, & seriò intendisse facere quod facit Ecclesia.

Nec refert quòd ludens fecerit: potest enim quis seriò velle aliquid, & simul illud ordinare ad jocum, tamquam ad finem extrinsecum.

Idem respondetur ad factum S. Genesii Martyris, qui dum mimum ageret coram Diocletiano, & in derisionem Baptismi, baptizari se velle fingeret, Deo inspirante, seriò Baptismum petiit, & à socio similiter jocante, sed seriò intendente facere, quod facit Ecclesia, verè baptizatus est.

Q. 2. *Qualis esse debeat intentio ministri ad valorem Sacramenti?*

Tres sunt præcipuæ divisiones intentionis:

1ª. In distinctam sive expressam, cùm res intenditur sub proprio & distincto conceptu, ut *volo baptizare*. Et confusam, cùm res intenditur sub conceptu generali & confusè, ut *volo per hoc facere quod facit Ecclesia*, aut *quod Christus instituit*.

2ª. Est in actualem, virtualem, habitualem & interpretativam.

Actualis est quâ res actu intenditur.

Virtualis est intentio præterita, actualis virtute perseverans in serie non interruptâ (saltèm moraliter) actionum ab eâ procedentium, & operi intento subordinatarum, ac realiter influens in ipsum opus, ita ut ipsum ponatur vi illius.

Exemplum est in Sacerdote, qui postquam elicuit intentionem actualem faciendi Sacrum, vi istius intentionis se ad sacristiam confert, sacras vestes induit, vadit ad Altare, legit orationes, Evangelium &c. ac tandem consecrat. Si toto illo tempore fuerit ita distractus, ut non amplius cogitaverit, saltèm perceptibiliter, de Sacro faciendo, nihilominùs intentio actualis præterita remansit virtualiter in istâ serie actionum ab illâ procedentium, & ita habuit intentionem virtualem consecrandi.

Dixi *saltem perceptibiliter*, quia semper interveniunt actus aliqui, sive potentiæ sensitivæ, ut vult Coninck, sive intellectivæ, ut vult Lugo,

sed tam tenues & subtiles, ut non percipiantur, sufficientes tamen ad dirigendos & imperandos actus, & motus potentiarum externarum præsertim potentiæ motivæ.

Intentio *habitualis*, est intentio actualis præterita non retractata, ibi sistendo, hoc est nullo modo remanens, nec in se, nec in suâ virtute.

Interpretativa, est ea quam quis censetur habere (quamvis actu non habuerit) hoc ipso quòd ita sit dispositus, ut si res ei proponeretur eam vellet. Ei opponitur intentio *formalis*, quæ est omnis ea quæ major est interpretativâ; & sæpe sumitur pro ipsâ actuali.

3ª. Divisio est in absolutam & conditionatam. Et hæc est triplex, nempe sub conditione de præsenti, de præterito, & de futuro. Nunc ad quæsitum.

R. 1. Ad valorem Sacramenti non sufficit in ministro intentio habitualis, nec interpretativa, sed requiritur vel actualis saltem confusa, seu implicita, vel virtualis.

Prob. Quia actio sacramentalis debet fieri humano modo, ad quod non sufficit intentio habitualis, nec interpretativa, cum possint reperiri etiam in dormiente &c.

Hinc S. Tho. hic art. 8. ad 3. dicens sufficere intentionem habitualem, per ly *habitualem* intelligit virtualem uti tunc temporis usurpabatur, solùmque vult non esse necessariam actualem, ut notat Sotus, Cajet, &c. & patet ex contextu.

Coll. nullum esse Baptismum (& idem est de aliis Sacramentis) collatum à Sacerdote ebrio, dormiente, amente, &c. quamvis sit ita affectus ut si esset sui compos, vellet habere intentionem validè baptizandi.

Item Sacerdotem qui se inebriaret prævidens se in ebrietate positurum totam actionem baptizandi,

aut consecrandi, &c. nihil effecturum, quia talis actio non est in se humana, nec libera.

R. 2. Quamvis intentio actualis sit optima & maximè suadenda, non est tamen necessaria, dum conficitur Sacramentum, sed sufficit præcessisse & perseverare in suâ virtute modo explicato. Ita DD. communissimè, & expressè S. Tho. hîc ad 3. ubi per habitualem intelligit virtualem, ut dictum est.

Prob. Quia intentio virtualis sufficit ad ponendum validè actum moralem & humanum, ut patet in contractibus, aliisque similibus.

Intellige responsionem etiamsi evagatio mentis tanta sit, ut minister non retineat usum libertatis circa præsens exercitium actionis Sacramentalis. Vasq. Layman, Hurtado, Lugo, &c.

Ratio est 1. quia contractus & similes actus etiam in tali statu censentur morales,& validi modò procedant vi præteritæ intentionis actualis liberæ.

2. Quia aliàs suppositâ hominum imbecillitate, & imaginationis volubilitate, Sacramenta essent exposita frequentissimæ nullitati.

Dices: Si Sacerdos postquam inchoavit Sacrum cum intentione consecrandi incidat in amentiam, & ex primâ applicatione pergat & proferat verba consecratoria, non validè consecrat: ergo nec Sacerdos qui ex vehementiâ distractionis profert verba sine præsenti libertate.

R. Disparitatem esse quod in amente perseveret quidem intentio virtualiter, sed physicè tantùm, non moraliter, cùm ex intrinsecâ dispositione sit incapax agendi humano modo: at in distracto perseveret intentio virtualis, non tantùm physicè, sed etiam moraliter, cùm sit adhuc in statu agendi humano modo, quod sufficit ut ejus actio, saltèm remotè libera, censeatur humana.

Instabis: Quando quis omninò distractus prosequitur aliquam actionem ex eodem motivo quo

illam inchoârat, desinit peccare vel mereri eo ipso quo distractus est, quia etsi illa prosecutio dicatur esse actio hominis, non dicitur tamen actio humana: ergo similiter in nostro casu confectio Sacramenti non erit actio humana.

R. Dist. consequens: non erit actio humana perfectè includens actualem libertatem (ut sumi solet quando inter se conferuntur, actio hominis & humana) C. non erit actio humana qualem homines exercere solent in suis negotiis, v. g. contractibus N. hinc ut rectè notat Vasques, disp. 138. n. 83. plus requiritur ad peccandum vel merendum, quàm ad confectionem Sacramenti ex Christi institutione: aliàs spectatâ hominis imbecillitate Sacramenta nimiùm exponerentur periculo nullitatis.

R. 3. Intentio ministri debet esse absoluta vel saltem æquivalens absolutæ, id est talis, ut priùs naturâ transeat in absolutam quàm Sacramentum perficiatur. Ratio est quia intentio tantùm conditionata non est simpliciter efficax, quamdiù pendet conditio: ad valorem autem Sacramenti requiritur intentio efficax, quæ hìc & nunc reddat Sacramentum validum.

Coll. 1. Sacramentum collatum sub conditione futurâ incertâ esse nullum, ut si dicas, *ego te baptizo, absolvo &c. Si steteris promissis, si ablata ante octiduum restitueris &c.* nam non potest valere dum pronuntiatur forma, neque postea, quia tunc non erit amplius nec materia, nec forma.

Quòd si subinde Confessarius dicat Pœnitenti *do tibi ablutionem, sed eâ conditione, ut restituas, ut deseras talem peccandi occasionem, &c.* non intendit (nisi sit ignarus) istâ loquendi formulâ solùm absolvere sub illâ conditione incertâ, & ita suspendere absolutionem donec purificetur conditio, sed tantùm intendit pœnitentem suum

efficaciter incitare ut in præsenti tale propositum concipiat, & eum absolvit absolutè.

Col. 2. Valere Sacramentum si fiat sub conditione de præsenti vel prætérito; quia talis intentio est æquivalenter absoluta, quod extende contra Sotum, etiamsi non possit deveniri in notitiam veritatis. Quo tamen casu talis postea rebaptizandus esset sub hâc conditione: *Si non es baptizatus.*

Item valet Sacramentum si fiat sub conditione necessariò vel certò futurâ. Non tamen valeret si quis per talem conditionem intenderet suspendere valorem Sacramenti usque ad adventum conditionis.

Q. 3. *Qualis intentio requiratur in suscipiente Sacramentum ad illius valorem?*

Certum est nullam requiri intentionem in parvulis, aut perpetuò amentibus, adeóque solùm esse quæstionem de adultis habentibus usum rationis, vel qui aliquando habuerunt.

R. 1. Requiritur ut minimum intentio negativa hoc est ut non habeat voluntatem positivè repugnantem.

Prob. tum ex cap. *majores* de Baptismo: ubi sic dicitur. *Ille verò qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit.* Tum ex sensu & praxi Ecclesiæ.

R. 2. in adultis etiam requiritur aliqua positiva voluntas illud recipiendi. S. Tho. Scotus, Suarez, & alii communiùs, contra Cajet. & Ledesmam apud Lugo docentes sufficere statum indifferentem.

Prob. 1. Ex Conciliis, Carthag. 3. can. 34. ubi dicitur *ægrotantes si per se respondere non possunt, cum voluntatis eorum hi qui sui sunt testimonium dixerint, baptizentur.* Et Arausic. 1. can. 11. *obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si volun-*

tatis praeteritæ testimonium aliorum verbis habet.

Prob. 2. ex praxi Ecclesiæ quæ exprimitur in Rituali Rom. Pauli V. de Baptismo Adultorum; ubi prohibetur baptizari, qui aliquando habuerit usum rationis ante amentiam, & nullam ostenderit voluntatem Baptismi.

Prob. 3. ratione. Quia Sacramēta sunt instituta ad Dei gratiam, sive sanctitatem conferendam, vel augendam, & in plerisque illorum annexa est aliqua obligatio, v. g. Baptismo, servandi legem Christi & Ecclesiæ. Ergo nullus videtur ad ea admittendus, qui consensum non præbuerit; siquidem consentiendi sit capax, vel aliquando fuerit.

R. 3. Non requiritur intentio actualis aut virtualis, sed sufficit habitualis.

Prob. Ex dictis Conciliis, quæ præcipiunt Baptismum & absolutionem dari amenti, aut ægro sensibus destituto, modò constet de præteritâ ejus voluntate non retractatâ. Et hæc est praxis Ecclesiæ.

Aliud est de Sacramento Matrimonii ad quod requiritur intentio saltèm virtualis in suscipiente, non per se seu quatenus est suscipiens, sed quatenus simul est minister ejusdem Sacramenti.

R. 4. Pro Extremâ-Unctione sufficit interpretativa, ut patet ex praxi Ecclesiæ, quæ pro illâ non exigit testimonium voluntatis præteritæ; sed solùm vitæ catholicè transactæ.

Eandem intentionem docet Coninck sufficere pro Confirmatione. De aliis videbitur suis locis. Vide Lugo disp. 8. n. 122. & seqq.

TRACTATUS II.

DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE.

CAPUT I.

De materiâ Baptiſmi.

NOTA in Baptiſmo & aliis Sacramentis, quæ in uſu, ideſt in actione tranſeunte conſiſtunt, duplicem eſſe materiam, unam remotam, quæ eſt ordinariè ſubſtantia aliqua corporea, ut aqua, oleum, &c. alteram proximam, quæ eſt certa quædam applicatio materiæ remotæ, ut ablutio, unctio &c.

Q. 1. *Quæ ſit materia remota Baptiſmi?*

R. Eſt aqua vera & naturalis, ſive elementaris. Eſt de fide, ex illo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ &c.* item ex Conciliis Lateran. Florentino, & nominatim Trid. ſeſſ. 7. can. 2. de Baptiſmo: *Si quis dixerit aquam veram & naturalem*

non esse de necessitate Baptismi, &c. *anathema sit*.

Pro resolutione casuum qui hîc frequenter occurrunt.

Nota per aquam naturalem, non solùm intelligi aquam puram elementarem, sed omnem omninò aquam elementarem, quæ rationem aquæ naturalis & usualis retinet, etsi rebus aliis tantillum sit permixta.

Hinc valet Baptismus, sive aqua sit fontana, sive pluvialis, aut marina, sive sit calida, sive frigida, &c. etiamsi sit turbida, lutulenta, sulphurata, ferruginea, jurulenta, seu in quâ coctæ sunt carnes, &c. modò non sit nisi tenuis permixtio, nec tanta ut potiùs habeat rationem corporis permisti quàm aquæ, ut aqua luto aut pinguedine valde densata, decoctio nimis spissa, vinum dilutum & similia; quæ quia non veniunt nomine aquæ, non sunt materia saltèm certa Baptismi.

Si tamen ex illis aqua exprimatur, quamvis lutulenta & turbida, valet Baptismus in eâ factus. A fortiori valet Baptismus in aquâ resolutâ ex nive, grandine, glacie, pruinâ, &c. Nix tamen ipsa vel grando, vel glacies &c. ante resolutionem non sunt materia sufficiens, quia licèt non differant specie ab aquâ elementari, tamen pro illo statu ex morali hominum æstimatione non censentur aqua naturalis & usualis.

Neque ea sunt materia Baptismi quæ substantialiter differunt ab aquâ, ut liquores ex plantis aut herbis expressi, seu per distillationem eliciti, ut aqua rosacea. Item humores è corpore animalis egredientes, ut sunt saliva, sputum, sudor, lacrimæ &c. item cerevisia, præsertim crassa & multùm decocta, & juxta quosdam etiam lixivium.

Pro praxi servanda sunt sequentia.

1. Si sit materia certò invalida, ut lac, vinum &c. nullo modo licitum est in eâ baptizare, etiam sub conditione, quamvis baptizandus sit in extremâ necessitate.

2. Extra necessitatem est grave peccatum, si quis utatur materiâ dubiâ, in casu tamen extremæ necessitatis, ut in articulo mortis, quando certa haberi non potest, non tantùm licitum est, sed etiam est obligatio adhibendi qualemcumque dubiam, & in eâ baptizandi sub hâc conditione: *si hæc materia sit sufficiens.* Neque ad hoc requiritur magna probabilitas materiæ, sed sufficit etiam tenuis.

Hinc aqua ex sale resoluto, cerevisia admodum tenuis, lixivium, imò juxta varios, aqua rosacea, sudor, & alii liquores, supra rejecti sunt materia sufficienter dubia ut in extremâ necessitate defectu alterius, in eâ baptizetur sub conditione; ita tamen ut si sic baptizatus supervixerit, & haberi possit certior materia, rebaptizari debeat sub hâc conditione: *si non es baptizatus.*

3. Quamvis in Baptismo solemni peccaret graviter qui non uteretur aquâ baptismali benedictâ & Chrismate permixtâ (pro quâ vide Ritualia Parochorum) non est culpa, saltèm gravis, in Baptismo privato, uti aquâ non benedictâ, saltèm quando non potest commodè haberi benedicta.

Q. 2. *Quæ sit materia proxima Baptismi?*

R. Est ablutio sive applicatio aquæ ad corpus baptizandi, ex quo confirmatur quod ante dictum est, glaciem adhuc concretam, & non resolutam, item vaporem, nivem, &c. non esse materiam sufficientem; cùm sic sumpta non serviat ablutioni. Intellige nisi in manu baptizantis aut aliter solvatur antequam tangat corpus baptizandi.

Q. 3. *Quæ ablutio requiratur ad Baptismum?*

R. Quamlibet ablutionem sufficere ad Baptismi

valorem, sive ea fiat per immersionem, sive per infusionem, sive per aspersionem; quia quocumque ex illis modis fiat, est vera ablutio.

In praxi tamen servandus est modus in quâque Ecclesiâ pro tempore usitatus.

Q. 4. *An quando fit Baptismus per immersionem fieri debeat emersio?*

R. Affirmant Scotus, Sotus, Sylvester, & alii id esse necessarium ad valorem Sacramenti. Negant Suar. Vasq. & alii recentiores communiùs; quia per immersionem non secutâ emersione habetur vera ablutio, sive applicatio aquæ ad corpus baptizandi.

Extende responsionem etiam ad casum quo quis non solùm intenderet eum, quem immergit baptizare, sed etiam submergere, ut interdum fit à meretricibus volentibus prolem suam suffocare, & ita occultare. Vasq. disp. 145. n. 19.

Q. 5. *Quanta pars corporis ablui debeat ad valorem Baptismi?*

R. Quamvis probabile sit speculativè loquendo, quod tradunt Durand. Vasq. Hurtado, Præpos. &c. sufficere si pars aliqua etiam minima v. g. pedis articulus abluatur, & multò probabiliùs, imò juxta multos certum, sufficere si abluatur, pars aliqua notabilis, v. g. pectus, humerus &c. quia tamen hoc ipsum nonnulli in dubium revocant, & nominatim S. Tho. q. 68. art. 11. ad 4. tutissimum est, & quantùm fieri potest in praxi servandum, ut ablutio fiat in capite. Et ita præscribunt Ritualia. Ratio S. Tho. est quòd in nullâ exteriorum partium corporis integritas vitæ ita consistit sicut in capite.

Col. Parvulum in casu necessitatis vel aliter baptizatum in exiguâ tantùm parte corporis, esse postea rebaptizandum sub conditione.

An autem quod affirmare videtur S. Tho. loco

cit. rebaptizari debeat, si pars alia etiam notabilis præter caput fuerit abluta, v. g. pectus, humeri, &c. negant Suar. Vasq. Layman., & alii.

Tutius tamen est teste Sylvestro verbo *Baptismus*, etiam illos rebaptizare sub conditione, *si non es baptizatus*; & ita præscribitur in Rituali Romano sub Paulo V, titulo de baptizandis parvulis, uti & in manuali Cameracensi eodem titulo.

Q. 6. *Quæ quantitas aquæ requiratur ad Baptismum?*

R. Eam requiri quæ sufficit ad veram ablutionem, seu successivam aquæ applicationem ad corpus, unde graves Theologi censent repetendum esse sub conditione Baptismum, quando unâ, vel tantùm duplici guttulâ aspersio facta fuit; Sotus, Layman &c.

Q 7. *An necesse sit ut aqua tangat immediatè corpus baptizandi?*

R. Affir. quia requiritur vera ablutio quæ non habetur sine contactu physico, & immediatâ applicatione aquæ ad id quod abluitur.

Itaque non sufficit aquam applicari panniculis, quibus infans est involutus; nec utero materno, quo adhuc clausus est.

Secundina, quæ est pellicula, quâ subinde involuti nascuntur infantes, à multis non censetur pars corporis, sed quoddam illius involucrum: unde probabilius est non sufficere, si illa sola abluatur. Oppositum tamen quod tenet Coninck, est etiam probabile.

Capilli censentur esse pars hominis, adeòque speculativè loquendo, sufficit illos ablui, etsi aqua carnem non tangat. Vasq. Sotus Henriq. Coninck. Idem dicunt de unguibus. Quia res non est certa, etiam illis applicanda est regula de materiâ dubiâ.

Q. 8. *An ad valorem Baptismi requiratur trina infusio, vel immersio?*

R, Sufficere unicam. Ex præcepto tamen servanda est cujusque Ecclesiæ praxis, seu consuetudo. S. Tho. hîc aliique Theologi. Ratio est, quia vera ablutio etiam unicâ infusione aut immersione perficitur, & certum est Ecclesiam ob diversas rationes occurrentes, modò unam, modò trinam adhibuisse.

Pro praxi servanda sunt hæc: 1. minister dum baptizat, non debet intentionem suam restringere ad unam ex tribus infusionibus, vel certum numerum illarum; sed adhibendo ablutiones præscriptas, intendat conficere Sacramentum optimo modo quo potest.

2. Curet quantùm commodè fieri potest, nè forma adæquatè perficiatur antequam perfecta sit ablutio totalis, nè scilicet aliqua pars illius reddatur inutilis.

3 Conetur efficere (quod præscribunt Ritualia) ut singulæ ablutiones singularum Sanctissimæ Trinitatis Personarum invocationi respondeat.

CAPUT II.

De formâ Baptismi.

Q. 1. *Quænam illa sit?*

R. Forma Baptismi apud latinos usitata, & tradita à Conciliis Florent. Lateran. & Trid. hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritûs-Sancti amen*: in quâ per ly *ego te baptizo* exprimitur actus Baptizandi, persona baptizans, & persona baptizata.

Per ly *in nomine Patris &c.* exprimuntur tres

personæ SS. Trinitatis.

Difficultas est an & quomodo omnes illæ expressiones sint faciendæ?

Forma Græcorum etiam à Concilio Florent. approbata est hæc: *baptizatur*, vel *baptizetur N. servus Christi, in nomine Patris &c.*

Q. 2. *An ad valorem Baptismi exprimi debeat explicitè actus baptizandi?*

R. Affir. est de fide ex definitione Alexandri III. capit. *Si quis puerum* de Baptismo. Ex Florent. in decreto Eugenii §. *primum autem.* Et ex perpetuâ traditione Ecclesiæ.

Col. Erroneam esse sententiam quæ tribuitur Stephano Tornacensi asserentem sufficere si quis in actu exercito baptizet, sive abluat dicens solùm: *in nomine Patris &c.* nam licet ex verbis illis Matt. ult. *baptizantes in nomine Patris &c.* præcisè acceptis non plus conficiatur, junctâ tamen interpretatione, & traditione Ecclesiæ, responsio nostra certa est.

Q. 3. *An & quomodo exprimenda sit persona baptizans?*

R. Esse aliquo modo exprimendam, non tamen necessariò explicitè per ly *Ego*, cùm id sufficienter intelligatur per ly *baptizo*, quamvis ob consuetudinem Ecclesiæ non liceat illud omittere.

Neque necessaria est ad valorem expressio directa & signata personæ baptizantis, sed sufficit si actus baptizandi sic exprimatur ut in actu exercito & indirectè significetur procedere à personâ ministri, sive ut ex modo, quo verba formæ pronuntiantur, & ex circumstantiis intelligatur illa actio procedere à personâ baptizante.

Patet ex hâc formâ Græcorum: *baptizetur N. servus Christi &c.* Quæ valida est, quamvis ly *baptizetur* solitariè spectatum sit indifferens ad modum deprecativum, & imperativum, & consequenter

non signatè & directè significet actum baptizandi procedere à proferente formam; quia nempe sufficienter ad id determinatur ex circumstantiis, & modo quo forma pronuntiatur: hinc etiam valet forma si non imperativè, sed indicativè dicatur, *baptizatur talis &c.* quamvis non addatur à *me* vel *manibus meis*, quia forma sic expressa non minùs à circumstantiis determinatur ad significationem practicam, quàm expressa in imperativo.

Non valeret tamen forma si ly *baptizatur*, diceretur solùm deprecativè; quia non significaretur actio procedens à proferente.

Cæterùm in praxi servanda est forma usitata in propriâ cujusque Ecclesiâ, & peccaret graviter latinus utens formâ Græcorum.

Item non licet aliis verbis uti, etsi videantur synonima, v.g. his, *lavo, abluo, intingo*, &c. pro ly *baptizo*.

De formâ dubiâ dicendum sicut præcedenti capite q. 1. de materiâ dubiâ.

Q. 4. *An & quomodo exprimenda sit persona baptizanda?*

R. Esse necessariò exprimendam, & quidem signatè. Est omnium, & certa ex traditione & perpetuo usu ac consensu totius Ecclesiæ ita interpretantis verba Christi: *baptizantes eos &c.* Item ex cap. *si quis puerum*, de Baptismo.

Dixi *Et quidem signatè*, quia nõ sufficit quòd persona baptizãda exprimatur exercitè, sive quòd actus baptizandi determinetur ad hanc personam per circumstãtias, & nominatim per applicationẽ aquæ hîc & nunc illi factam, sicut diximus in formâ Græcorum sufficienter exprimi personam baptizantem per hoc quod ipsa abluat; cujus disparitatis ratio petenda est ex praxi & constanti usu Ecclesiæ, declarantis requiri signatam expressionem personæ baptizandæ, sufficere autem exercitam baptizantis.

Quare invalidus esset Baptismus si quis abluendo simpliciter diceret : *Ego baptizo in nomine Patris &c.* non exprimendo personam.

Q. 5. *An necessaria sit expressa invocatio trium Personarum Trinitatis ?*

R. Affirm. est communis & certa, contra Magistrum, Adrianum, & Cajet. (in cujus tamen posterioribus editionibus ea doctrina jussu Pii V. expuncta est) docentes non solùm olim initio nascentis Ecclesiæ, validum fuisse, sed etiamnum valere Baptismum collatū in nomine solius Christi.

Prob 1. Ex verbis Christi Matt. ult. *baptizantes eos in nomine Patris &c.* quibus juxta Ecclesiæ interpretationem, & consensum Patrum ac omniū ferè DD. à Christo tradita est forma Baptismi.

Prob. 2 Ex decretis Pontificum. Pelagii cap. *si reverà*, & capit *multi sunt* de consec. dist. 4. & Zachariæ, capit *in Synodo Anglorum*, ibid. ubi definiunt nullum esse Baptismum collatum in nomine solius Christi, vel omissâ unâ personâ Trinitatis

Prob. 3. authoritate SS. PP. Cypriani, Basilii, Damasc. August. & aliorum apud Suar. Vasq &c.

Pro ratione est institutio Christi; cui addi solet hæc congruentia quod Baptismus sit Sacramentum fidei, & prima janua ad salutem, ideoque decuerit illum institui sub expressione Trinitatis; quod est præcipuum fidei mysterium.

Quòd si Apostoli aliquando baptizârint in nomine solius Christi, dicendum id illos fecisse ex speciali dispensatione Christi, ut volunt S. Thō. art. 6. ad 1. Altisiodorensis, Alexander, Bonav. Durand. &c. non improbabiliter, ut nempe sacrū istud nomen, eo tempore Iudæis & gentibus odiosum, fieret istâ ratione venerabile.

Quamquam id negent & fortè probabiliùs Armacanus, Sotus, Canus, Bellarm. Suar. Vasq.

Sylvius, Isambert. & alii præsertim cùm in canone Apostolorum 49. expresè improbetur Baptismus collatus *in morte Christi*, & præcipiatur expressa invocatio Trinitatis. Verba sunt hæc: *Non dixit Christus in morte meâ baptizate eos, sed euntes docete; &c. baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Et Act. 19. quibusdam discipulis à Paulo interrogatis an acccepissent Spiritum Sanctum, & respondentibus se nequidem audivisse an Spiritus-Sanctus esset, subjunxit Paulus: *in quo ergo baptizatis estis?* Quo responso innuit neminem baptizari nisi per explicitam invocationẽ Spiritûs Sancti, sicut & aliarum personarum Divinarum.

Adde quod PP. qui vixerunt temporibus Apostolorum, vel paulòpost, ut Clemens Rom. Dionysius, Tertul. & alii apud Vasquez. tradunt invocationem Personarum Trinitatis tamquam necessariam formam Baptismi, nullâ factâ mentione nominis IESU, aut Christi. Nominatim Clemens Rom. (qui à S. Petro creatus est Episcopus, eique in Pontificatu successit post Linum & Cletum) lib. 3 constit. apostolic. c. 16. tradens formam Baptismi ait: *deinde vel tu Episcopus, vel tibi subjectus presbiter sacram super ipsos dicens ac nominatim invocationem Patris & Filii & Spiritûs-Sancti, baptizabis eos in aquâ.*

Nec refert quod Act. 2. 8. 10. & 19. dicantur Apostoli baptizasse in nomine Christi.

1. Quia ly *in nomine Christi*, ita sumi potest ut idem sit ac *in fide & authoritate Christi.* Quo sensu alibi dicuntur in nomine Christi ejecisse dæmonia.

2. Quia nusquam dicuntur baptizasse in nomine solius Christi, sed simpliciter *in nomine Christi.* Quod verificari potest de invocatione Christi sub nomine *Filii*, in formâ ordinariâ, vel etiam sub his vocibus *Iesu Christi*, quas putant aliqui tunc

temporis addi solitas formæ ordinariæ post ly *Filii*, ad Christi venerationem initio Ecclesiæ Baptizatis excitandam.

Q. 6. *Quibus nominibus exprimendæ sint Personæ Trinitatis?*

R. Exprimendas esse consuetis nominibus Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti, vel synonymis & æquivalentibus tum quo ad rem, tum quo ad modum significandi.

Hinc non valeret Baptismus si diceretur *in nomine Trinitatis*, *in nomine Dei unius & Trini*, vel *in nomine trium Personarum Trinitatis*, &c. quia licet verba illa sint æquivalentia quoad substantiam, non tamen quo ad modum significandi, cum per illa non distinctè exprimantur singulæ personæ.

De hâc formâ: *Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & spirati, vel procedentis ab utroque*, nonnulli dubitant, & ideò in praxi non licet illâ uti.

Speculativè tamen probabile est esse validam, quia per illa distinctè exprimuntur singulæ personæ secundùm proprietates & rationes objectivas, quibus ab invicem distinguntur realiter, quamvis voces non sint omninò, etiam quo ad significandi modum, synonymæ.

Q. 7. *Quid dicendum de aliis particulis in formâ Baptismi contentis?*

R. 1. Ly *in nomine* est de essentiâ formæ, quia sicut in Baptismo confitenda est personarum Trinitas, ita etiam essentiæ unitas dicendo *in nomine* & non *in nominibus*.

Dubius erit Baptismus si pro ly *in nomine* dicatur *in virtute* vel *in authoritate* vel *sub invocatione Patris*

Erit invalidus, si (ut aliquando contingit) dicatur *ego te baptizo cum Patre & Filio &c.*

Dubiæ etiam sunt formæ sequentes: *in nomine*

Patris, *& in nomine Filii*, *& in nomine Spiritûs Sancti*. Item: *baptizo te in unum Deum Patrem & Filium &c.* vel *in uno Deo Patre*, *& Filio &c.* Item si omittatur ly *in* Quamvis singulæ istæ formæ suos habeant bonos authores, qui volunt esse validas.

R. 2. ly *Sancti* post ly *Spiritûs*, non videtur esse de essentiâ, quia variis Scripturæ locis ly *Spiritus* sine addito est nomen proprium tertiæ Personæ. Filiucius tamen censet eo omisso Baptismum esse invalidum, vel saltem dubium.

R. 3. Particulæ *ego* & *amen*, non sunt de essentiâ, præsertim, ly *amen* quod probabiliter neque est de necessitate præcepti, cum Florentinum & Rituale Rom. illud omittant, dum proponunt formam Baptismi.

CAPUT III.

De Iterando Baptismo.

Certum est nullo casu iterari posse Baptismum, quem constat semel esse validè susceptum.

Est de fide 1. ex Apost. Ephes. 4. *unus Dominus, una fides*, *unum Baptisma*.

2. Ex Conciliis Lateran. capit. *Firmiter*. Florent. in decreto de Armenis. Trid. Sess. 7. Can. 11. de Baptismo.

3. Ex Symbolo Nyceno: *confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*.

4. Ex perpetuâ traditione Ecclesiæ & consensu Patrum apud Vasq. Præpos &c.

Nec dissentiunt moderni hæretici, etiam Anabap-

tistæ seu rebaptizantes, sic dicti, non quòd putent Baptismum semel validè collatùm posse iterari; sed quia volunt eum parvulis collatum, esse invalidum; quos proinde in adultâ ætate rebaptizant.

Q. 1. *Quandonam Baptismus iterari possit, aut debeat?*

R. 1. Iterari debet sub conditione, quando post diligentem inquisitionem remanet rationabile dubium, an aliquis sit verè, & validè baptizatus. Ita DD. communiter, & ita statuit Alexander III. capit. *de quibus*, de Baptismo his verbis: *de quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.*

Dixi *Quando remanet rationabile dubium*, quia si nulla sit rationabilis causa dubitandi, sed tantùm leves aliqui scrupuli, non est iterandus Baptismus, etiam sub conditione, ut habetur in Catechismo Rom. Part 2. c. 2. de Baptismo §. 43.

Q. 2. *An rebaptizari debeant, aut possint baptizati ab hæreticis?*

R. Per se loquendo non posse rebaptizari, cùm sit de fide Baptismum ab hæreticis collatum esse validum, si utantur materiâ & formâ legitimâ cum debitâ intentione.

Verùm per accidens sæpe fit ut rebaptizari debeant sub conditione, quia sæpe ab illis committuntur aliqui defectus circa materiam, aut formam, aut debitam intentionem.

Deprehensum enim est variis in locis, Angliâ, Germaniâ, Belgio, &c. Prædicantes, cùm baptizant proles nobilium, uti aquâ rosaceâ, aut etiam aspergere solas vestes infantis, ne scilicet aqua frigida immediatè corpusculo applicata aliquid ei molestiæ afferat.

Imò quandoque ad magnificentiam ex sede sô-

valorem, sive ea fiat per immersionem, sive per infusionem, sive per aspersionem; quia quocumque ex illis modis fiat, est vera ablutio.

In praxi tamen servandus est modus in quâque Ecclesiâ pro tempore usitatus.

Q. 4. *An quando fit Baptismus per immersionem fieri debeat emersio?*

R. Affirmant Scotus, Sotus, Sylvester, & alii id esse necessarium ad valorem Sacramenti. Negant Suar. Vasq. & alii recentiores communiùs; quia per immersionem non secutâ emersione habetur vera ablutio, sive applicatio aquæ ad corpus baptizandi.

Extende responsionem etiam ad casum quo quis non solùm intenderet eum, quem immergit baptizare, sed etiam submergere, ut interdum fit à meretricibus volentibus prolem suam suffocare, & ita occultare. Vasq. disp. 145. n. 19.

Q. 5. *Quanta pars corporis ablui debeat ad valorem Baptismi?*

R. Quamvis probabile sit speculativè loquendo, quod tradunt Durand. Vasq. Hurtado, Præpos. &c. sufficere si pars aliqua etiam minima v. g. pedis articulus abluatur, & multò probabiliùs, imò juxta multos certum, sufficere si abluatur pars aliqua notabilis, v. g. pectus, humerus &c. quia tamen hoc ipsum nonnulli in dubium revocant, & nominatim S. Tho. q. 68. art. 11. ad 4. tutissimum est, & quantùm fieri potest in praxi servandum, ut ablutio fiat in capite. Et ita præscribunt Ritualia. Ratio S. Tho. est quòd in nullâ exteriorum partium corporis integritas vitæ ita consistit sicut in capite.

Col. Parvulum in casu necessitatis vel aliter baptizatum in exiguâ tantùm parte corporis, esse posteà rebaptizandum sub conditione.

An autem quod affirmare videtur S. Tho. loco

cit. rebaptizari debeat, si pars alia etiam notabilis præter caput fuerit abluta, v. g. pectus, humeri, &c. negant Suar. Vasq. Layman., & alii.

Tutius tamen est teste Sylvestro verbo *Baptismus*, etiam illos rebaptizare sub conditione, *si non es baptizatus*, & ita præscribitur in Rituali Romano sub Paulo V. titulo de baptizandis parvulis, uti & in manuali Cameracensi eodem titulo.

Q. 6. *Quæ quantitas aquæ requiratur ad Baptismum?*

R. Eam requiri quæ sufficit ad veram ablutionem, seu successivam aquæ applicationem ad corpus, unde graves Theologi censent repetendum esse sub conditione Baptismum, quando unâ, vel tantùm duplici guttulâ aspersio facta fuit; Sotus, Layman &c.

Q. 7. *An necesse sit ut aqua tangat immediatè corpus baptizandi?*

R. Affir. quia requiritur vera ablutio quæ non habetur sine contactu physico, & immediatâ applicatione aquæ ad id quod abluitur.

Itaque non sufficit aquam applicari panniculis, quibus infans est involutus; nec utero materno, quo adhuc clausus est.

Secundina, quæ est pellicula, quâ subinde involuti nascuntur infantes, à multis non censetur pars corporis, sed quoddam illius involucrum: unde probabilius est non sufficere, si illa sola abluatur. Oppositum tamen quod tenet Coninck, est etiam probabile.

Capilli censentur esse pars hominis, adeòque speculativè loquendo, sufficit illos ablui, etsi aqua carnem non tangat. Vasq. Sotus Henriq. Coninck. Idem dicunt de unguibus. Quia res non est certa, etiam illis applicanda est regula de materiâ dubiâ.

Q. 8. *An ad valorem Baptismi requiratur trina infusio, vel immersio?*

R. Sufficere unicam. Ex præcepto tamen servanda est cujusque Ecclesiæ praxis, seu consuetudo. S. Tho. hîc aliique Theologi. Ratio est, quia vera ablutio etiam unicâ infusione aut immersione perficitur, & certum est Ecclesiam ob diversas rationes occurrentes, modò unam, modò trinam adhibuisse.

Pro praxi servanda sunt hæc: 1. minister dum baptizat, non debet intentionem suam restringere ad unam ex tribus infusionibus, vel certum numerum illarum; sed adhibendo ablutiones præscriptas, intendat conficere Sacramentum optimo modo quo potest.

2. Curet quantùm commodè fieri potest, nè forma adæquatè perficiatur antequam perfecta sit ablutio totalis, nè scilicet aliqua pars illius reddatur inutilis.

3 Conetur efficere (quod præscribunt Ritualia) ut singulæ ablutiones singularum Sanctissimæ Trinitatis Personarum invocationi respondeat.

CAPUT II.

De formâ Baptismi.

Q. 1. *Quænam illa sit?*

R. Forma Baptismi apud latinos usitata, & tradita à Conciliis Florent. Lateran. & Trid. hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritûs-Sancti amen*: in quâ per ly *ego te baptizo* exprimitur actus Baptizandi, persona baptizans, & persona baptizata.

Per ly *in nomine Patris &c.* exprimuntur tres

personæ SS. Trinitatis.

Difficultas est an & quomodo omnes illæ expressiones sint faciendæ?

Forma Græcorum etiam à Concilio Florent. approbata est hæc: *baptizatur*, vel *baptizetur N. servus Christi*, *in nomine Patris &c.*

Q. 2. *An ad valorem Baptismi exprimi debeat explicitè actus baptizandi?*

R. Affir. est de fide ex definitione Alexandri III. capit. *Si quis puerum* de Baptismo. Ex Florent. in decreto Eugenii §. *primum autem*. Et ex perpetuâ traditione Ecclesiæ.

Col. Erroneam esse sententiam quæ tribuitur Stephano Tornacensi asserentem sufficere si quis in actu exercito baptizet, sive abluat dicens solùm: *in nomine Patris &c.* nam licet ex verbis illis Matt. ult. *baptizantes in nomine Patris &c.* præcisè acceptis non plus conficiatur, junctâ tamen interpretatione, & traditione Ecclesiæ, responsio nostra certa est.

Q. 3. *An & quomodo exprimenda sit persona baptizans?*

R. Esse aliquo modo exprimendam, non tamen necessariò explicitè per ly *Ego*, cùm id sufficienter intelligatur per ly *baptizo*, quamvis ob consuetudinem Ecclesiæ non liceat illud omittere.

Neque necessaria est ad valorem expressio directa & signata personæ baptizantis, sed sufficit si actus baptizandi sic exprimatur ut in actu exercito & indirectè significetur procedere à personâ ministri, sive ut ex modo, quo verba formæ pronuntiantur, & ex circumstantiis intelligatur illa actio procedere à personâ baptizante.

Patet ex hâc formâ Græcorum: *baptizetur N. servus Christi &c.* Quæ valida est, quamvis ly *baptizetur* solitariè spectatum sit indifferens ad modum deprecativum, & imperativum, & consequenter

non signatè & directè significet actum baptizandi procedere à proferente formam; quia nempe sufficienter ad id determinatur ex circumstantiis, & modo quo forma pronuntiatur: hinc etiam valet forma si non imperativè, sed indicativè dicatur, *baptizatur talis &c.* quamvis non addatur à *me* vel *manibus meis*, quia forma sic expressa non minùs à circumstantiis determinatur ad significationem practicam, quàm expressa in imperativo.

Non valeret tamen forma si ly *baptizetur*, diceretur solùm deprecativè; quia non significaretur actio procedens à proferente.

Cæterùm in praxi servanda est forma usitata in propriâ cujusque Ecclesiâ, & peccaret graviter latinus utens formâ Græcorum.

Item non licet aliis verbis uti, etsi videantur synonima, v.g. his, *lavo, abluo, intingo*, &c. pro ly *baptizo*.

De formâ dubiâ dicendum sicut præcedenti capite q. 1. de materiâ dubiâ.

Q. 4. *An & quomodò exprimenda sit persona baptizanda?*

R. Esse necessariò exprimendam, & quidem signatè. Est omnium, & certa ex traditione & perpetuo usu ac consensu totius Ecclesiæ ita interpretantis verba Christi: *baptizantes eos &c.* Item ex cap. *si quis puerum*, de Baptismo.

Dixi *Et quidem signatè*, quia nō sufficit quòd persona baptizāda exprimatur exercitè, sive quòd actus baptizandi determinetur ad hanc personam per circumstātias, & nominatim per applicationē aquæ hîc & nunc illi factam, sicut diximus in formâ Græcorum sufficienter exprimi personam baptizantem per hoc quod ipsa abluat; cujus disparitatis ratio petenda est ex praxi & constanti usu Ecclesiæ declarantis requiri signatam expressionem personæ baptizandæ, sufficere autem exercitam baptizantis.

Quare invalidus esset Baptismus si quis abluendo simpliciter diceret : *Ego baptizo in nomine Patris &c.* non exprimendo personam.

Q. 5. *An necessaria sit expressa invocatio trium Personarum Trinitatis ?*

R. Affirm. est communis & certa, contra Magistrum, Adrianum, & Cajet. (in cujus tamen Posterioribus editionibus ea doctrina jussu Pij V. expuncta est) docentes non solùm olim initio nascentis Ecclesiæ, validum fuisse, sed etiamnum valere Baptismum collatū in nomine solius Christi.

Prob 1. Ex verbis Christi Matt. ult. *baptizantes eos in nomine Patris &c.* quibus juxta Ecclesiæ interpretationem,& consensum Patrum ac omniū ferè DD. à Christo tradita est forma Baptismi.

Prob. 2 Ex decretis Pontificum. Pelagii cap. *si reverà*, & capit *multi sunt* de consec. dist. 4. & Zachariæ, capit *in Synodo Anglorum*, ibid. ubi definiunt nullum esse Baptismum co latum in nomine solius Christi, vel omissâ unâ personâ Trinitatis

Prob. 3. authoritate SS. PP. Cypriani, Basilii, Damasc. August. & aliorum apud Suar. Vasq &c.

Pro ratione est institutio Christi ; cui addi solet hæc congruentia quod Baptismus sit Sacramentum fidei, & prima janua ad salutem, ideoque decuerit illum institui sub expressione Trinitatis ; quod est præcipuum fidei mysterium.

Quòd si Apostoli aliquando baptizârint in nomine solius Christi, dicendum id illos fecisse ex speciali dispensatione Christi, ut volunt S. Thō. art. 6. ad 1. Altisiodorensis, Alexander, Bonav. Durand. &c. non improbabiliter, ut nempe sacrū istud nomen, eo tempore Iudæis & gentibus odiosum, fieret istâ ratione venerabile.

Quamquam id negent & fortè probabiliùs Armacanus, Sotus, Canus, Bellarm. Suar. Vasq.

Sylvius, Isambert. & alii præsertim cùm in canone Apostolorum 49. expressè improbetur Baptismus collatus *in morte Christi*, & præcipiatur expressa invocatio Trinitatis. Verba sunt hæc: *Non dixit Christus in morte meâ baptizate eos, sed euntes docete; &c. baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Et Act. 19. quibusdam discipulis à Paulo interrogatis an acccepissent Spiritum Sanctum, & respondentibus se nequidem audivisse an Spiritus-Sanctus esset, subjunxit Paulus: *in quo ergo baptizatis estis?* Quo responso innuit neminem baptizari nisi per explicitam invocationẽ Spiritûs Sancti, sicut & aliarum personarum Divinarum.

Adde quod PP. qui vixerunt temporibus Apostolorum, vel paulòpost, ut Clemens Rom. Dionysius, Tertul. & alii apud Vasquez. tradunt invocationem Personarum Trinitatis tamquam necessariam formam Baptismi, nullâ factâ mentione nominis IESU, aut Christi. Nominatim Clemens Rom. (qui à S. Petro creatus est Episcopus, eique in Pontificatu successit post Linum & Cletum) lib. 3 constit. apostolic. c. 16. tradens formam Baptismi ait: *deinde vel tu Episcopus, vel tibi subjectus presbiter sacram super ipsos dicens ac nominatim invocationem Patris & Filii & Spiritûs-Sancti, baptizabis eos in aquâ.*

Nec refert quod Act. 2. 8. 10. & 19. dicantur Apostoli baptizasse in nomine Christi.

1. Quia ly *in nomine Christi*, ita sumi potest ut idem sit ac *in fide & authoritate Christi.* Quo sensu alibi dicuntur in nomine Christi ejecisse dæmonia.

2. Quia nusquam dicuntur baptizasse in nomine solius Christi, sed simpliciter *in nomine Christi.* Quod verificari potest de invocatione Christi sub nomine *Filii*, in formâ ordinariâ, vel etiam sub his vocibus *Iesu Christi*, quas putant aliqui tunc

temporis addi solitas formæ ordinariæ post ly *Filii*, ad Christi venerationem initio Ecclesiæ Baptizatis excitandam.

Q. 6. *Quibus nominibus exprimendæ sint Personæ Trinitatis?*

R. Exprimendas esse consuetis nominibus Patris, & Filii, & Spiritûs-Sancti, vel synonymis & æquivalentibus tum quo ad rem, tum quo ad modum significandi.

Hinc non valeret Baptismus si diceretur *in nomine Trinitatis*, *in nomine Dei unius & Trini*, vel *in nomine trium Personarum Trinitatis*, &c. quia licet verba illa sint æquivalentia quoad substantiam, non tamen quo ad modum significandi, cum per illa non distinctè exprimantur singulæ personæ.

De hâc formâ: *Ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & spirati, vel procedentis ab utroque*, nonnulli dubitant, & ideò in praxi non licet illâ uti.

Speculativè tamen probabile est esse validam, quia per illa distinctè exprimuntur singulæ personæ secundùm proprietates & rationes objectivas, quibus ab invicem distinguntur realiter, quamvis voces non sint omninò, etiam quo ad significandi modum, synonymæ.

Q. 7. *Quid dicendum de aliis particulis in formâ Baptismi contentis?*

R. 1. Ly *in nomine* est de essentiâ formæ, quia sicut in Baptismo confitenda est personarum Trinitas, ita etiam essentiæ unitas dicendo *in nomine* & non *in nominibus*.

Dubius erit Baptismus si pro ly *in nomine* dicatur *in virtute* vel *in authoritate* vel *sub invocatione Patris*

Erit invalidus, si (ut aliquando contingit) dicatur *ego te baptizo cum Patre & Filio &c.*

Dubiæ etiam sunt formæ sequentes: *in nomine*

tistæ seu rebaptizantes, sic dicti, non quòd putent Baptismum semel validè collatùm posse iterari; sed quia volunt eum parvulis collatum, esse invalidum; quos proinde in adultâ ætate rebaptizant.

Q. 1. *Quandonam Baptismus iterari possit, aut debeat?*

R. 1. Iterari debet sub conditione, quando post diligentem inquisitionem remanet rationabile dubium, an aliquis sit verè, & validè baptizatus. Ita DD. communiter, & ita statuit Alexander III. capit. *de quibus*, de Baptismo his verbis: *de quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis præmissis: si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo &c.*

Dixi *Quando remanet rationabile dubium*, quia si nulla sit rationabilis causa dubitandi, sed tantùm leves aliqui scrupuli, non est iterandus Baptismus, etiam sub conditione, ut habetur in Catechismo Rom. Part 2. c. 2. de Baptismo §. 43.

Q. 2. *An rebaptizari debeant, aut possint baptizati ab hæreticis?*

R. Per se loquendo non posse rebaptizari, cùm sit de fide Baptismum ab hæreticis collatum esse validum, si utantur materiâ & formâ legitimâ cum debitâ intentione.

Verùm per accidens sæpe fit ut rebaptizari debeant sub conditione, quia sæpe ab illis committuntur aliqui defectus circa materiam, aut formam, aut debitam intentionem.

Deprehensum enim est variis in locis, Angliâ, Germaniâ, Belgio, &c. Prædicantes, cùm baptizant proles nobilium, uti aquâ rosaceâ, aut etiam aspergere solas vestes infantis, ne scilicet aqua frigida immediatè corpusculo applicata aliquid ei molestiæ afferat.

Imò quandoque ad magnificentiam ex sede cō-

cionatoriâ formam Baptismi pronuntiare puero aliquo, aut famulo aquam applicante : quæ omnia reddunt Baptismum invalidum, aut valde dubium.

Hinc tales rebaptizari præcipit Synodus Mechliniensis approbata à Paulo V. 1608. teste Sylvio q. 66. art. 9. quæsito 3. Id ipsum præscribunt manualia Pastorum, Audomar. Camerac. Atrebat. &c.

Q. 3. *Quid dicendum de baptizatis ab obstetricibus?*

R. Idem cum proportione ac de baptizatis ab hæreticis, nempe quòd licet per se loquendo, rebaptizari non debeant, quia tamen sæpè est specialis ratio suspicandi obstetricem peccasse in substantialibus, sive ex perturbatione, sive ex imperitiâ, aut etiam ex malitiâ, ut si sit suspecta de hæresi, sortilegio &c. Ideò sæpe etiam contingit ut rebaptizari debeant, saltem sub conditione. Et ita præscribunt pleraque manualia Parochorum, Camerac. Audomar. &c.

Q. 4. *Quid de infantibus expositis?*

R. Esse baptizandos sub conditione, si non habeant appensam schedulam, aut aliam notam collati Baptismi testem. Imo licet illam habeant, nisi aliunde constet de collato Baptismo, videntur rebaptizandi. Sylvius, Mercerus, & alii contra Vasq. Præpos. &c. Et ita præscribit Synodus Camerac. Tit. 6. c. 8.

Ratio est quòd schedula aliave nota ab ignoto & consequenter incertæ fidei authore, non sit sufficiens testimonium ad habendam certitudinem moralem de collato Baptismo, præsertim cùm mulieres illæ, quæ ita proles exponunt, sint plerumque pauperes, nec satis instructæ ad ritè baptizandum; & iis casibus non soleant uti obstetricibus.

CAPUT IV.

De Ministro Baptismi.

FLorentinum in decreto de Sacramentis §. de Baptismo sic habet. *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos cui ex officio competit baptizare : in casu autem necessitatis, non solùm* Sacerdos*, vel Diaconus, sed etiam Laïcus, & mulier; imò paganus, & hæreticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiæ &c.*

Ex quibus verbis patet ministrum ordinarium Baptismi, sive cui ex officio competit baptizare, esse solum sacerdotem, quemlibet verò hominem ratione utentem, seu virum, seu mulierem, seu baptizatum, seu non baptizatum &c. esse ministrum sufficientem ut validè baptizet. Restat quærendum quinam, & quando possint licitè baptizare ?

Q. 1. *An quilibet Sacerdos possit licitè baptizare?*

R. Non quilibet Sacerdos, sed solus proprius vel alius ex ejus commissione, potest licitè baptizare extra necessitatem. Ratio est quia collatio Baptismi est aliquis actus jurisdictionis, non intrinsecè & quo ad essentiam, sicut absolutio sacramentalis, cùm possit Baptismus sæpè licitè, & semper validè exerceri à non habentibus eam jurisdictionem, sed hoc sensu, quòd hæc conditio requisita sit, ut licitè fiat extra necessitatem.

Nota nomine proprii Sacerdotis hic intelligi Pontificem respectu totius Ecclesiæ, Episcopum respectu suæ Diœcesis; & Parochum respectu suæ Parochiæ.

Hinc simplex Sacerdos nusquam potest extra necessitatem licitè baptizare, nec Parochus in alienâ Parochiâ, sine proprii Sacerdotis commissione aut facultate.

Nec possunt parentes invito proprio Parocho prolem suam tradere baptizandam alieno Sacerdoti, neque hic illam baptizare.

Q. 2. *Quo sensu liceat cuilibet in necessitate baptizare?*

R. Cuilibet id licere si alius non adsit: at si plures adsint per se loquendo, servandus est hic ordo.

Præferendus est Sacerdos Diacono, Diaconus Subdiacono, hic inferioribus Clericis, Clericus Laïco, Vir Fœminæ, non Excommunicatus Excommunicato &c.

Dixi *Per se loquendo* quia per accidens potest hic ordo inverti; ut si mulier majorem habeat baptizandi peritiam quàm vir; & naturalis honestas interdum requirit, ut mulier cuilibet viro etiam Sacerdoti præferatur, ut si infans ob imminens vitę periculum baptizari debeat nondum perfectè natus.

Item cæteris paribus Baptizatus præferri debet non baptizato, fidelis infideli, non excommunicatus excommunicato &c.

Q. 3. *Quanta sit obligatio servandi jam dictum ordinem?*

R. Ex communi obligatio est sub mortali præferendi Sacerdotem non Sacerdoti cæteris paribus. Item baptizatum non baptizato, catholicum hæretico, non excommunicatum excommunicato, & probabiliter Diaconum non Diacono, nempe ob reverentiam Sacramento debitam. Item probabiliter Parochum vel ejus substitutum alteri non habenti jurisdictionem.

Quoad alios non est obligatio nisi sub venia,

li, imò nec sub veniali, si vel exigua causa subsit. Vide Præpositum hîc.

Cæterùm non est in hâc materiâ scrupulosè agendum, & cavendum ne moras trahendo, dum deliberatur quis præferri debeat, moriatur quis sine Baptismo. Vnde in tali periculo qui prior venit prior baptizet, ut dici solet de dandâ absolutione moribundo.

Q. 4. *An parentes possint propriam prolem in necessitate baptizare?*

R. Si nemo alius haberi possit, possunt; imò tenentur, neque inde affinitatem contrahent, neque impedientur uti Matrimonio: at si alius adsit aut haberi possit, qui id faciat non possunt & graviter peccant, si ipsi baptizent; imò ex communi contrahunt affinitatem, ita ut deinceps non possint uti Matrimonio; quod tamen postremum negat Conink de Sacram. disp. 34. dub. 8. n. 69. & alii quos citat.

CAPUT V.

De Susceptoribus in Baptismo, seu Patrinis

Q. 1. *An ritus adhibendi Patrinum in Baptismo sit necessarius?*

R. licet non sit necessarius ad valorem Sacramenti, esse tamen de necessitate præcepti Ecclesiastici, saltem in Baptismo solemni, & quidem sub mortali. Sanchez, Tanner, Wigers & alii passim

Et verò ritus iste antiquissimus est, & ab ipsis Apostolorum temporibus semper in Ecclesiâ usur-

patus, ut testantur Dionys. Tertul. Justinus, Aug. &c.

Q. 2. *Quodnam sit officium Patrini?*

Nota Patrinum aliter dici susceptorem, eo quòd baptizatum de sacro fonte levet, & specialem ejus in rebus fidei curam suscipiat. Similiter quæ hoc sensu susceptrix est, vulgò dicitur matrina. Quæ autem hîc dicentur de Patrino cum proportione intelligenda sunt de matrinâ; igitur;

R. Patrini officium est in ipso quidem Baptismo offerre baptizandum baptizanti, pro illo respondere, si ipse non possit per se, tenere illum dum baptizatur, levare de fonte, præsertim quando Baptismus fit per immersionem, ac denique suscipere de manu baptizantis.

Extra Baptismum verò testari de collato Baptismo, & præcipuè curare ut baptizatus instruatur in fide & doctrinâ christianâ, si parentes id facere negligant, aut non valeant.

Nota ex illâ susceptione, & Baptismo oriri cognationem spiritualem inter patrinum, matrinam, & baptizantem ex unâ parte, & baptizatum ac ejus parentes ex alterâ.

Unde patrinus respectu parentum baptizati dicitur compater, & matrina commater Et hæc cognatio, ut suo loco dicetur, est impedimentum dirimens matrimonium.

Q. 3. *Quid requiratur ut quis munus patrini validè suscipiat?*

R. Requiritur 1. usus rationis.

2. Ut ipse sit baptizatus.

3. Intentio suscipiendi illud munus.

4. Contactus physicus baptizati, saltèm in vestibus, sive id fiat in ipso actu Baptismi, sive paulò ante vel paulò post. Ita DD. communiùs. Vide Barbosam in Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. matrimonii n. 42. ubi dicitur id fuisse de-

cisum. Et verò tum in Trid. tum in aliis juribus semper in hâc materiâ fit mentio tangendi, tenendi, levandi &c.

Nonnulli tamen, quos sequitur Sylvius q. 67. art. 7. docent sufficere, si quis Baptismo assistat, & declaret se talem offerre baptizandum, & officium patrini acceptare.

Pro his facit quòd probabilius sit munus patrini validè suscipi ab absente per Procuratorem, & ab eo contrahi cognationem spiritualem, ad quod tamen respondent alii eo casu fieri debere contactum per procuratorem.

Q. 4. *Quinam excludantur ab officio patrini?*

R. Ex jam dictis ab hoc munere excluduntur quicumque carentes usu rationis, ut amentes, & pueri.

Item non baptizati, adeòque Judæi, Pagani, &c. qui invalidè hoc munus susciperent.

Nunc quæritur de iis qui validè quidem possunt, non tamen licitè. ii sunt:

1. Publicè excommunicati, publico crimine infames, ignorantes fidei rudimenta. Ex Rituali Rom. & variis locis prohibentur qui non sunt confessi, nec communicârunt in Paschate. Pro quo videnda Ritualia Parochorum.

2. Hæretici, vel de hæresi suspecti. Notat tamen Layman c. 9. n. 7. in locis ubi hæretici pacificè vivunt cum Catholicis, ut in multis Germaniæ & Belgii partibus, hæreticum interdum gravi de causâ assumi etiam à viris probis. Et n. 6. dicit Catholicum posse fieri patrinum infantis, qui parentibus hæreticis natus à ministro hæretico ritè baptizatur.

3. Iure communi prohibentur Monachi, & Abbates, & generatim regulares omnes, etiam sanctimoniales.

Consulendus usus, nam quoad Abbates variis

in locis usu contrario abrogata est ea prohibitio.

4. Prohibentur parentes propriam prolem suscipere.

Q. 5. *Quot personæ ad id munus assumi possint, & cujus sit illos designare?*

R. Nunc non licet assumere nisi unum, vel unam, vel certè unum & unam, idque sub pœnâ ab Episcopo infligendâ parocho si plures permiserit: Trid. sess. 24. c. 2. de reformatione matrimonii.

Designatio autem pertinet ad parentes, vel eorum defectu ad parochum.


Q. 6. *An si aliquis in Baptismo privato baptizatum suscipiat sit verè patrinus, & contrahat cognationem spiritualem?*

R. Affirmant multi apud Layman, negat Sanchez & alii non improbabiliter: hoc magis certum, quando post Baptismum supplentur in templo ceremoniæ solemnes, eum, qui tunc tamquam patrinus adhibetur, non fieri verè patrinus, nec contrahere cognationem.

Q. 7. *An qui illicitè contra Ecclesiæ prohibitiones, patrini munus obeunt, contrahant cognationem spiritualem?*

R. affirm. quia licèt illicitè cõtrahant, non tamen invalidè. An autem si conjux suscipiat propriam prolem, privetur jure petendi debitum conjugale, dictum est præcedenti capite quæsito ultimo.

Certum est quòd in eo casu possit, & teneatur reddere.



CAPUT VI.

De necessitate Baptismi.

AGitur hîc de Baptismo in re, vel in voto: Baptismus in re est, qui reipsâ confertur cùm debitâ materiâ, formâ & intentione.

Baptismus in voto est desiderium illius saltèm implicitum, quod continetur in actu perfectæ contritionis, & in amore Dei super omnia.

Q. 1. *An Baptismus sit omnibus necessarius ad salutem?*

R. Extra casum martyrii (de quo infra) Baptismus est omnibus ad salutem necessarius in re vel in voto. Est de fide.

1. Ex illo Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

2. Ex Conc Carthag. & Milevit. apud Aug. epist. 90. & 92. & nominatim ex Florentino in decreto Eugenii. Et Trid. sess. 7. cap. 5. de Baptismo: *si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit.*

3. Ex perpetuâ traditione Ecclesiæ, & consensu PP. apud Bellarm. Suar. Vasq &c.

Q. 2. *Quis Baptismus necessarius sit parvulis?*

R. Extra martyrium iis necessarius est Baptismus in re; suppono quòd ad usum rationis non sint perventuri; Sequitur ex præcedenti: nam si Baptismus sit omnibus necessarius in re vel in voto: cùm parvuli ejusmodi voti seu desiderii sint incapaces, sequitur necessarium esse illis Baptismum

in re ipsâ susceptum. Hæc assertio communis est & certa.

Q. 3. *An Baptismus in re sit etiam adultis necessarius ad salutem?*

R. Non esse absolutè necessarium, sed aliquando sufficere Baptismum in voto, qui implicitè continetur in contritione perfectâ, aut dilectione Dei super omnia, essentialiter importante desiderium, seu votum efficax, saltèm virtuale, faciendi omnia necessaria ad consequendam salutem, sive ad placendum Deo in æternum, & consequenter procurandum sibi Baptismum, si fieri possit.

Hæc assertio certa est, supposito quòd contritio perfecta, & amor Dei super omnia, hominem Deo reconciliet, etiam extra Sacramentum; quod probabitur infra in tractatu de pœnitentiâ, & hoc sensu communiter admittunt Theologi triplicem Baptismum, nempe fluminis, sanguinis, & flaminis, qui est contritio, aut amor Dei perfectus continens desiderium efficax Baptismi.

Q. 4. *Quo tempore quisque tenetur Baptismum suscipere, aut parentes filiis illum procurare?*

R. 1. Adulti jure Divino tenentur Baptismum suscipere statim atque (moraliter loquendo) fidei nostræ mysteria sunt sufficienter edocti: quia finis Baptismi non tantùm est peccatorum remissio, sed etiam professio fidei christianæ, quam quisque sibi sufficienter propositam quamprimùm amplecti debet & Christi Ecclesiam ingredi, cujus janua est Baptismus.

Nec refert quòd viri Sancti Ambrosius, Aug. Martinus &c. ad multos annos Baptismum distulerint; quia vel id fecerunt ex causâ rationabili nobis ignotâ, vel certè in eo peccârunt, licèt fortè tantùm materialiter ob ignorantiam istius obligationis.

Unde Aug. lib. 1. conf. c. 11. non probat sibi

puero petenti Baptismum negatum fuisse, eo quòd cerneretur à morbo, in quo illum petierat, convalescere. Vide Gobat. de necessitate Baptismi.

Nota licèt Tertulianus, Nazianzenus, & alii quidam antiqui PP judicaverunt expedire ut extra mortis periculum Baptismus differretur usque dum pueri possent pro se respondere, & in primitivâ Ecclesiâ sæpe differretur Baptismus etiam ad longum tempus, postea tamen cùm deprehensum esset, eâ ratione multos Baptismo privari, meritò statuit Ecclesia ut non differretur. Vide Trid. sess. 7. can. 13.

Dixi *moraliter loquendo* quia cùm præceptum Baptismi sit affirmativum, non obligat pro semper, ita ut primo statim momento exequendum sit. Unde olim constituta erant duo tempora baptizandi, nempe Paschatis & Pentecostes, & in quibusdam Ecclesiis etiam Epiphaniæ, extra quæ non licebat baptizare, nisi in casu necessitatis.

R. 2. Licet vi præcepti Divini non teneantur parentes extra casum necessitatis curare baptizari proles suas in infantiâ, quia ut notat Suares disp. 31. sect. 1. præceptum istud nusquam extat, tenentur tamen jam, partìm consuetudine graviter obligante, partìm præcepto Ecclesiastico positivo particularium Provinciarum, suos infantes curare baptizari intra triduum, vel quatriduum à nativitate.

Servandus hâc in re usus Ecclesiæ propriæ. Sotus in 4. dist. 5. art. 3. dicit consuetum tempus baptizandi esse diem octavum, decimum, vel duodecimum à nativitate, quod accipi tantùm potest pro loco in quo ipse scribebat.

Ceterùm addit ipse ibidem, licèt dilatio trium vel quatuor dierum (scilicet ultra tempus consuetum) delictum non afferat, tamen diutiùs pro-

crastinando, committi peccatum mortale.

Nota Layman cap. 6. n. 9. docere, quando ex justâ causâ differtur Baptismus solemnis, etiam ad sex hebdomadas, non debere interim puerum baptizari privatim. Verùm cùm in teneris infantibus semper sit subitæ mortis aliquod periculum, eadem causa quæ est sufficiens ad differendum tam diu Baptismum solemnem, videtur etiam sufficiens, ut interim privatìm baptizentur.

CAPUT VII.

De subjecto Baptismi.

Q. 1. *Quinam sint Baptismi capaces?*

R. Omnem hominem esse capacem illius, sive contraxerit peccatum originale, sive non.

Quod addo propter Beatam Virginem, quam suppono fuisse immunem ab isto & omni alio peccato, & si qui alii fuissent miraculosè producti, non contracto originali.

Prob. 1. ex Matt. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.*

Prob. 2. ratione quia quilibet potest ingredi Ecclesiam Christi, cujus janua est Baptismus. Item quilibet est capax salutis ac vitæ æternæ, ergo & Baptismi, qui est medium ad illam assequendam ordinatum

Col. Baptismum non solùm dari ad remedium peccati originalis (alioqui enim nec Apostoli, nec alii, qui ante Baptismi institutionem mundati erant ab originali per circumcisionem aut aliter, debuissent baptizari) sed etiam ob alios fines

fines v. g. ut esset janua per quam intraretur in Ecclesiam &c.

Hinc Trid. sess. 5. in decreto de originali §. 4. dicens *formam Baptismatis in remissionem peccatorum fore falsam, si infantes nihil peccati contraherent ex Adamo*, explicari debet, non de formâ essentiali Baptismi, sed de toto ritu, quo confertur Baptismus, cum exorcismis, exsufflationibus &c. Lugo.

Q. 2. *An infantes ante usum rationis sint capaces Baptismi?*

R. affir. Est de fide contra Anabaptistas. Ita definitum est in variis Conciliis Carthaginensi tēpore Cypriani. Viennensi, Milevitano, & nominatim Trid. sess. 7. de Baptismo can. 12. 13. & 14. Et hæc est perpetua traditio ac praxis Ecclesiæ.

Nec dici potest iniquum esse pueris, absque eorum consensu imponere onus servādæ legis Christianæ, quia liberatio à peccato originali, & dæmonis servitute, item collatio gratiæ Baptismalis, majus est bonum quàm libertas ab obligatione servandi legem Christianam.

Q. 3. *An Baptismi capax sit adultus, qui à nativitate fuit surdus & mutus?*

R. affir. Quia talis potest sufficienter nutibus & signis instrui de rebus ad salutem necessariis. Quòd si insuper fuerit cœcus, censet Coninck eodem loco habendum quo amentem. hîc art. 12.

Q. 4. *Quid dicendum de monstris?*

R. Si dubium sit an sit homo, an brutum, baptizari debet sub hâc conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo &c.* si verò dubitetur an sit unus homo, an plures, ut si monstrum habeat duplex caput humanum, reliquum corpus simplex, vel contra; debet primò unus baptizari absolutè, deinde alter sub hâc conditione *Si non es baptizatus. &c.*

Q. 5. *An possit baptizari infans adhuc in utero materno integrè conclusus?*

R. Non posse quamdiu est ita conclusus ut aqua non possit ad illum pertingere. S. Th. Quòd si per fistulam, aut alio artificio possit aqua ad illum pertingere, potest validè baptizari. Præpos. & alii contra Bonacinam.

Hinc putat idem author matrem posse, imò teneri permittere, ut si filius, aliàs absque Baptismo infallibiliter periturus, per fistulam baptizari possit, id fiat, etiamsi prævideat se inde morituram.

Nec refert quòd non liceat vivam matrem secare ut filius, alioqui periturus, baptizetur: disparitas enim est, quòd talis sectio esset directa occisio innocentis, quæ semper est illicita: at in nostro casu mors matris tantùm sequeretur indirectè, & per accidens.

Q. 6. *An furiosi & amentes debeant baptizari?*

R. 1. Amentes qui nunquam usi sunt ratione, baptizandi sunt sicut infantes.

2. Qui aliquando ratione sunt usi, baptizandi sunt, si ante amentiam petierint Baptismum: secùs si numquam illum petierint, saltèm implicitè.

3. Qui habent lucida intervalla, si illis durantibus Baptismum petierint, baptizandi sunt, etiam tempore amentiæ, si urgeat necessitas; sin autem, differendus est Baptismus usque ad novum intervallum, ut Sacramentum cum pietate & fructu majori suscipiatur.

Q. 7. *An filii infidelium Catholicis nullo modo subjectorum baptizari possint invitis parentibus?*

Certum est 1. validum esse Baptismum collatum filiis infidelium etiam invitis parentibus. Suares, Vasq. contra Durandum & alios quos citant.

2. Si isti pueri habeant sufficientem usum rationis, & consentiant, posse licitè baptizari invitis parentibus, uti & quorumlibet infidelium infan-

tes in casu necessitatis, sive in manifesto mortis periculo, modò id fiat sine vi, & gravi aliorum scandalo.

R. Non posse licitè. Est communis & certa.

Prob. efficaciter ratione S. Tho. quia vel infans post Baptismum parentibus relinqueretur, vel ab eis abstraheretur: si primum, Baptismus exponeretur evidenti periculo profanationis, nam haud dubiè parentes jam exacerbati, infantem illum educarent in infidelitate, & odio, ac execratione Religionis Christianæ. Si secundum, fieret gravis injuria parentibus, qui habent jus naturale filios suos adhuc parvulos apud se retinendi, & educandi.

Q. 8. *An saltèm baptizari possint invitis parentibus pueri infidelium Christiano Principi subjectorum?*

Nota posse homines dominis temporalibus subjici dupliciter.

1. Politicè, seu civiliter, hoc est, sicut cives, & membra Reipublicæ.

2. Despoticè, seu serviliter, sicut mancipia, seu empta, seu bello capta.

R. 1. Non potest Princeps Christianus filios infidelium sibi subjectorum civiliter, curare baptizari invitis parentibus. Ita S. Thomas cum suis, Item Suares, Vasq. &c. & è Scotistis Scribonius de Baptismo disp. 2. q. 8. contra Scotum & Scotistas docentes communiter id licere.

Prob. 1. ut ante ratione S. Th.

Prob. 2. quia politica potestas, cùm solùm ordinetur ad externam pacem, & commune bonum ordinis naturalis, non extendit se ad supernaturalia, sed solùm ad ea quæ pertinent ad justitiam & honestatem naturalem; ergo ad illam non pertinet procurare observationem legis Baptismi, quæ est merè supernaturalis, adeóque nec subditos privare suo jure naturali, seu patriâ potestate ob hoc præ-

cisè quòd non permittant suos filios baptizari, si aliunde pacificè vivant, & juxta leges politicas.

Dices, Principes possunt impedire, imò tenentur, ne parentes filios suos occidant corporaliter: ergo à fortiori possunt impedire ne eos occidant spiritualiter, illos educando in infidelitate, nec permittendo baptizari.

R. Nego C. disparitas est quòd in casu antecedentis parentes faciant contra jus naturale, quod quisque habet ad vitæ suæ conservationem: unde cum jure naturali unicuique liceat innocentem ab ejusmodi injuriis naturalibus defendere, manifestum est quòd non solùm Principi, sed unicuique liceat parentem impedire, ne filium suum corporaliter occidat. In casu autem consequentis faciant tantùm contra jus supernaturale, quod habent eorum infantes ad vitam animæ supernaturalem per Baptismum consequendam, quam injuriam, utique supernaturalem, propulsare, non est potestatis naturalis, imò nec Ecclesiasticæ; cùm Ecclesia nullum jus habeat in infideles, dicente Apostolo *quid mihi de iis quæ foris sunt* (id est infidelibus) *judicare*: ex quibus patet cur liceat à parentibus infidelibus filios abstrahere, quos ipsi velint corporaliter occidere, non verò liceat eos abstrahere quos ipsi nolunt baptizari.

R. 2. Filii infidelium Principibus Christianis serviliter subjectorum seu mancipiorum, possunt invitis parentibus baptizari. Est communis præsertim recentiorum contra Cajet. Marsilium, & paucos alios. Ratio est, quia inde non sequuntur incommoda supra allata, cùm dominus absque injuriâ possit prolem sui mancipii abstrahere à parente, & de illâ tamquam suâ pro arbitrio disponere, & consequenter curare illam instrui, & in fide educari &c.

Intellige responsionem de filiis mancipiorum,

qui & ipsi servi sunt : nam si proles serva non sit, quamvis parens sit mancipium, v. g. si nata sit antequam parens redigeretur in servitutem, vel si nata sit ex matre liberâ &c, non potest invito parente baptizari, quia domino jus aliud non competit in prolem liberam sui mancipii, quàm in proles infidelium liberorum.

Q. 9. *In quo fundetur jus quod habet Ecclesia abstrahendi à parentibus infidelibus eorum filios jam baptizatos?*

R. Fundari in eo quòd baptizatus ex unâ parte fiat membrum Ecclesiæ, eique quoad spiritualia subjiciatur, & aliunde vi Baptismi contrahat obligationem addiscendæ, & servandæ legis Christianæ, quam nec addisceret, nec servaret, imò in illius odium & execrationem educaretur, si cum parentibus jam exacerbatis cohabitaret : ex quo sequitur dictos infantes, seclusâ necessitate, non solùm non posse baptizari invitis, sed nec insciis parentibus.

Ex dictis coll. 1. Si parentes infideles consentiant in Baptismum suorum infantium, non idcircò statim esse baptizandos. Nam si ita consentiant, ut tamen velint apud se eos retinere, nec sit spes ut illos permittant in fide instrui, & educari, neque ut ab illis abstrahi possint absque scandalo, & Reipublicæ perturbatione, non sunt baptizandi, nè Baptismus exponatur manifesto periculo profanationis.

Col. 2. In casu quo infans reipsà baptizatus esset invitis parentibus infidelibus, debere illum ab illis abstrahi, si sine scandalo & Reipublicæ perturbatione fieri possit : in casu autem quo infans nondum baptizatus, jam esset abstractus (etiam per injuriam) à parentibus infidelibus, & esset moraliter certum non esse eis restituendum, posset, ac deberet baptizari.

CAPUT VIII.

De dispositione requisitâ in adulto ad Baptismum, & ad ejus reviviscentiam.

Suppono 1. Baptismum secluso obice remittere omne peccatum, tum originale, tum actuale, & omnem pœnam peccatis debitam. Florentinum in decreto de Sacramentis, ubi de Baptismo dicitur, *effectus hujus Sacramenti est remissio omnis culpæ originalis & actualis*: ibidem inter effectus Baptismi, etiam recenset remissionem omnis pœnæ.

Possunt autem effectus illi duobus modis impediri (& ideò dixi *secluso obice*) nempe per affectum ad peccatum, dum Baptismus suscipitur, & per defectum debitæ dispositionis.

Suppono 2. Baptismum cum obice susceptum, eo sublato reviviscere, ut loquuntur scholastici, id est conferre gratiam, & remissionem omnis culpæ & pœnæ, quam initio ob obicem illum non contulerat. His positis.

Q. 1. *Quæ dispositio requiratur in adultis ad gratiam in Baptismo recipiendam?*

Dico *ad gratiam recipiendam*, quia ad valorem Baptismi, & impressionem characteris, qui est secundarius illius effectus, non requiritur aliud in adulto quàm intentio suscipiendi Baptismi, explicata præcedenti tractatu cap. 3. q. 3.

R. 1. Si baptizandus jam sit justificatus per contritionem, sola intentio debita suscipiendi Baptismum sufficit ad augmentum gratiæ in illo recipiendum.

R. 2. Si baptizandus sit in statu peccati, ut per Baptismum justificetur, requiritur

1. actus fidei ex illo Marci ultimo : *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.*

2. Spes justificationis & vitæ æternæ, Heb. 11. *credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.*

3. Voluntas saltèm implicita servandi mandata. Mat. ultimo, *euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos &c. docentes eos servare omnia quæcumque mandamus vobis.*

R. 3. Si baptizandus lapsus sit in peccatum actuale, nondum per contritionem remissum (nam in eo qui habet tantùm originale id non requiritur) necessarius est actus pœnitentiæ, seu dolor de peccato commisso : vide Trid. sess. 6. cap. 6. ubi ista omnia clarè recensentur.

Q. 2. *Qualis esse debeat pœnitentia ad effectum Baptismi ?*

R. Probabiliter non esse necessariam pœnitentiam formalem & expressam, sed saltèm in eo qui peccati sui non recordatur, vel ad illud non advertit, sufficere virtualem, contentam in amore Dei super omnia : cùm enim virtualis ista contritio, in eo qui de peccatis suis non cogitat, sufficiat ad justificationem extra Sacramentum, ut communiùs docetur ; non apparet cur etiam non sufficiat tamquam dispositio ad effectum Baptismi, non exigentis dolorem tamquam partem sui essentialem, sicut exigit Sacramentum pœnitentiæ, sed tantùm tamquam dispositionem. Vide Coninck q. 62. a. 1. dub. 2. n. 34. & seq. ubi etiam docet contra Vasq. Suar. & alios communiùs, probabiliter sufficere virtualem attritionem contentam in actu spei.

Q. 3. *Ex quo motivo debeat esse pœnitentia, seu dolor hic requisitus ?*

D iv

R. Debere esse ex motivo honesto, & supernaturali, adeóque non sufficere dolorem ex motivo humano, & merè naturali, ut docuerunt Sotus, & Melchior Canus.

Prob. ex Trid. sess. 6, can. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritûs S. inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Hinc inter propositiones ab Innocentio XI. condemnatas. hæc est 57. *probabile est sufficere attritionem naturalem, modò honestam*, nempe ad Sacramentum pœnitentiæ, & est par ratio de Baptismo.

Q. 4. *An sufficiat attritio ex metu gehennæ &c.?*

R. affir. modò sit supernaturalis, & ex præveniente Spiritûs S. inspiratione & adjutorio.

Prob. 1. ex Trid. sess. 14. cap. 4. non plus requirente ad Sacramentum pœnitentiæ.

Prob. 2. Quia Baptismus institutus est ad remissionem peccati, tum originalis, tum etiam actualis, si in baptizando præextiterit; est enim Sacramentum regenerationis spiritualis, janua spiritualis vitæ &c. ergo non prærequirit contritionem perfectam, quæ ut suo loco dicetur, est per se infallibiliter justificativa: alioquin enim quilibet adultus jam esset justificatus ante Baptismum, & consequenter Baptismus non esset de se regeneratio spiritualis, cùm effectum illum semper in adulto præsupponeret.

Dices Trid. sess. 6. c. 6. in eo qui baptizari vult, requirit *ut Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat*, ergo &c.

R. Per hoc nõ intelligi amorẽ quo Deus diligatur super omnia, & propter se, sive amorem benevolentiæ ex motivo bonitatis divinæ ibi sistendo, (quamquam is amor sit optimus, & maximè consulendus) sed quo diligatur tamquam nobis bo-

nus & misericors, & fons, seu dator justitiæ; qui est amor concupiscentiæ honestus, & tamen supernaturalis, adeòque utilis ad justificationem & salutem. Et verò non dicitur ut *diligant* sed *diligere incipiant*.

Plura quæ afferri possunt tum ad probandam, tum ad impugnandam hanc assertionem commodiùs tradentur in tract. de Sacramento pœnitentiæ, ubi de sufficientiâ attritionis.

Q. 5. *Quæ dispositio requiratur ad Baptismi reviviscentiam, sive ut Baptismus validè susceptus, gratiam conferat, quam ante, posito obice, non contulerat?*

Nota 1. duplicem esse obicem (quem scholastici vocant fictionem) circa effectum Baptismi primarium, seu gratiam; unum positivum & formalem, qui est culpabilis suscipienti Baptismum; ut contingit, quando quis scienter illum suscipit absque debitâ dispositione; alterum privativum & materialem, qui est involuntarius, & inculpabilis, ut contingit quando suscipiens Baptismum ignorat, vel non advertit invincibiliter ad defectum dispositionis.

Nota 2. communissimam esse S. Thomæ & aliorum Theologorum sententiam (quam disputatam vide apud scholasticos) dari Baptismi cum obice, seu positivo seu privativo suscepti, sublato obice reviviscentiam, quâ producuntur omnes omninò effectus, quos produxisset Baptismus ab initio, si non intervenisset obex, seu fictio, ac proinde non tantùm remitti omnem pœnam debitam peccatis ante Baptismum commissis, sed & conferri gratiam sanctificantem cum omnibus donis & virtutibus eam comitantibus. His positis,

R. 1. In eo qui suscepit Baptismum cum obice merè privativo seu materiali, & nullum postea mortale commisit, sufficit ponere id quod in ini-

tio requirebatur, ut sine obice susciperetur; unde si talis obex provenerit ex defectu attritionis de mortalibus ante Baptismum commissis, sufficiet attritio. Quòd si ante Baptismum nullum habuerit actuale mortale, sed solùm originale, ne quidem requiritur attritio, sed sufficit si suppleatur actus fidei, aut alterius dispositionis quæ defuerit.

R. 2. in eo qui post Baptismum aliquod mortale commisit, necessaria est vel contritio perfecta, vel attritio cum Sacramento pœnitentiæ. Cùm enim ex unâ parte Baptismus non possit remittere præcedentia susceptionem Baptismi, nisi simul, saltèm indirectè, remittat sequentia, quæ jam pertinent ad remissionem clavium, non poterit illa remittere, nisi simul cum illo accedat contritio, vel confessio sacramentalis.

Coll. peccata quæ committuntur, dum suscipitur Baptismus, sive sit ipsum peccatum fictionis, id est voluntas sacrilegæ susceptionis, sive sint alia v. g. odii, impudicitiæ &c. si perseverent post absolutum Baptismum, pertinere ad potestatem clavium, nec tolli posse, nisi per contritionem, vel confessionem sacramentalem, tunc enim censentur peccata post Baptismum: at si desierint antequam sit Baptismus completus, censentur peccata ante Baptismum, & consequenter sufficit Baptismus cum solâ attritione ad illa remittenda.

Q. 6 *An sicut secundùm meliorē dispositionem Sacramenta operantur ex opere operato majorem effectum, ita Baptismus reviviscens juxta dispositionem meliorem quâ tollitur fictio, producat majorem effectum ?*

R. affir. Vasq. Præpos. Tanner. Lugo &c. contra Suar. & Coninck, volentes Baptismo ex quâcumque dispositione reviviscenti semper ex opere operato respondere eandem gratiam, scilicet minimam, quæ per Baptismum haberi possit;

sive qualis datur baptizatis in infantiâ.

Prob. responsio quia Baptismus reviviscens, eodem modo operatur, quo in suâ collatione operatus fuisset: atqui tunc fuisset operatus juxta dispositionem in subjecto repertam, ergo &c.

Nec refert quòd sic sæpè contingeret, ut, qui baptizatus esset cum fictione, referret majorem gratiam, quàm si baptizatus fuisset sine fictione, v. g. in eo cujus Baptismus reviviscerer cum amore ut tria, & fuisset baptizatus solùm cum amore ut duo: hoc enim fieret per accidens, & occasionaliter, sicut dum quis ex culpabili dilatione Baptismi, accedens postea cum meliori dispositione, majorem gratiam recipit, quàm ante recepisset.

CAPUT IX.

De Baptismo sanguinis, seu Martyrio.

MArtyrium dicitur Baptismus sanguinis, eo quòd per illud æquè ac per verum Baptismum remittatur omnis culpa & pœna, ita ut veri Martyres statim à morte beatitudinem consequantur juxta illud Augustini, & post illum Innocentii III. cap. 6. de celebratione Missarum: *injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre.*

Q. 1. *Quid Martyrium?*

R. Martyrium est testimonium fidei Divinæ, vel in se, vel in opere alicujus virtutis, morte firmatum. Vide S. Tho. 2. 2. q. 124. art. 2. & 4.

Dicitur 1. *testimonium*, nempe vel formale voce, aut signo aliquo à Martyre expressum, vel

saltèm virtuale, quale est in infantibus, & iis qui dormientes in odium Christi & fidei occiduntur.

Dicitur 2. *fidei Divinæ*, per quod excluduntur hæretici, qui verè Martyres esse non possunt, quia fidem Divinam non habent, nec ullam virtutem Christianam, quæ essentialiter fidem præsupponit, cujus proinde testimonium dare non censentur, quamvis à tyranno in odium fidei, aut Christi essent occisi.

Dicitur 3. *vel in se, vel in opere alicujus virtutis*. Quia non est necesse ad martyrium ut mors inferatur propter fidem, sed sufficit si in defensionem, seu testimonium alicujus virtutis Christianæ, v. g. pudicitiæ, immunitatis Ecclesiasticæ &c.

Dicitur 4. *morte firmatum*, nempe ab extrinsęco in odium fidei, vel virtutis Christianæ illatâ.

Hinc 1 qui peste infectis ex charitate servientes mortem contrahunt, non sunt propriè & strictè Martyres, licèt ob insignem charitatis, & fortitudinis actum censeantur Martyribus propè æquales.

2. Non sufficit ad martyrium quòd Christianus ab infideli occidatur ob aliam causam, quàm in odium fidei, aut alicujus virtutis v. g. quia cum illius gente bellum habet, quia ab illo se putat damnum aliquod aut injuriam passum esse &c. nam qui sic occideretur, quamvis injustè, non esset propriè Martyr.

Q. 2. *An Martyrium sufficiat infantibus ad salutem?*

R. affir. est communis, & ita certa, ut oppositam Alensis, Armacani, & Adriani sententiam, alii temerariam, alii erroneam appellent. Suares. Vasq. &c.

Prob. Ex perpetuâ traditione Ecclesiæ, quæ (ut ostendit Baronius ad annum Christi 58.) jam inde innocentes à temporibus Apostolorum

ab Herode occisos, semper voluit ut veros martyres. Item ex PP. Augustino, Leone, Bernardo & aliis apud Suar. & Vasq.

Q. 3 *Vnde vim habeat martyrium adultorum remittendi omnem culpam & pœnam?*

R. Eam vim habere ex speciali privilegio, & velut ex opere operato, etiam secluso actu charitatis. Cajet. Bellarm. Suar. Valentia., Toletus, Præpositus, Sylvius, Coninck & alii recentiores communiùs contra Alensem, Scotum, Durandum, Vasq. Martinon &c. docentes martyrium solùm justificare ex opere operantis, ratione amoris Dei super omnia in eo inclusi.

Prob. 1. ex Matt. 10. *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.*

Nec dicas cum Vasq. ly *propter me* idem esse ac *ex amore Dei*, quia promissio illa non tantùm facta est adultis, sed etiam infantibus ex odio fidei occisis, qui quidem animam perdunt propter Christum, non tamen ex amore Dei, cujus in eâ ætate capaces non sunt.

Prob. 2. Ex Patribus, qui martyrio æqualem vim justificandi tribuunt ac Baptismo, nominatim Aug. qui lib. 13. de Civitate Dei c. 7. & 8. id probans dicit. *Qui enim dixit nisi quis renatus fuerit &c. idem dixit qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.*

Cæterùm omninò suadendum est, ut antequam mortem quis pro Christo subeat, aut illam acceptet, actum amoris eliciat, quàm potest perfectissimum, imò ad id tenetur, in quantùm in mortis articulo urget præceptum amoris Dei. Et moriturus ex charitate erga seipsum tenetur quàm potest certissimè suæ saluti consulere.

Q. 4 *An & qua in adultis requiratur mortis acceptatio ad martyrium?*

R. 1. Requiritur aliqua acceptatio, vel enim

martyrium sumitur prout est actus virtutis, nempe fortitudinis, & sic certum est requiri actum internum acceptationis ut talis actus sit liber & honestus; vel prout est medium habens vim justificandi quasi ex opere operato, & sic etiam necessaria est acceptatio in adultis, quos utique Deus in suam amicitiam non admittit, nisi in illam aliquo modo consentiant, ut patet in Sacramentis, in quorum valorem diximus requiri intentionem, & consensum suscipientis.

R. 2. Voluntas acceptans martyrium 1. debet esse honesta, & ex motivo supernaturali, cùm sit actus virtutis.

Hinc qui mortem sibi illatam in odium fidei sustineret ex solo motivo vanæ gloriæ, non esset Martyr.

2. Non requiritur acceptatio actualis, aut virtualis dum subeunda mors est, sed sufficit habitualis sumpta pro præteritâ non retractatâ.

3. Licèt probabile sit sufficere acceptationem interpretativam, quâ quis hoc ipso quod bene & Christianè vivit, censetur velle mori, potiùs quàm Christum negare. Cajet. Henriquez Coninck &c. Lessius tamen Præpositus &c. putant oppositum esse probabilius.

Unde pro praxi suadendum est ut Catholici subinde in vitâ se Deo offerant ad subeundum pro Christo martyrium.

4. Denique debet esse talis ut Martyr non resistat, aut se defendat, quia alioqui non satis Christo se conformaret, qui, ut habetur 1. Petri 2 *cùm pateretur, non comminabatur*, & Isaï 53. *quasi agnus coram tondente se obmutuit.*

Hinc Christiani milites, qui contra infideles, fidei causâ pugnantes occiduntur, quamvis plurimum merentur, non sunt tamen strictè Martyres. Valent. Tannerus, Less. Præp. Wighers & alii

communiſſimè. Et hic videtur eſſe ſenſus Eccleſiæ, quæ (teſte Baronio in notis ad Martyrologium in 19. Aprilis) tales numquam pro Martyribus agnovit.

Oppoſitum tamen non improbabiliter tenuit S. Antoninus, item Sotus & Paludanus cum hâc limitatione, modò non tam ſeipſos, quàm Chriſtum & Eccleſiam defendant. Sylvius, qui hos ſequitur in ſupplem. q. 96. art. 6. ad fundamentum ſententiæ communis dicit ideò tales ab Eccleſiâ non haberi pro Martyribus, quia non poteſt fieri de illis legitima inquiſitio.

Q. 5. *Quæ diſpoſitio requiratur ad Martyrium?*

R. 1. In juſto præter acceptationem jam explicatam per ſe loquendo, non requiritur alia diſpoſitio, quàm ipſe ſtatus juſtitiæ.

Dixi *per ſe loquendo*, quia ſubiturus martyrium non liberatur obligationibus, quæ ſunt omnibus, etiam juſtis communes.

Unde ſi nondum ſit baptizatus, juſtificatus tamen per contritionem, tenetur ante martyrium ſuſcipere Baptiſmum, ſi poteſt: baptizatus autem tenetur confiteri peccata, quamvis per contritionē jam deleta, ſi necdum fuerint ſubjecta clavibus.

Item tenetur conari elicere actum amoris Dei ſuper omnia, & contritionis, ſaltèm ſi peccata occurrant.

Verùm iſta requiruntur non per modum diſpoſitionis neceſſariæ ad valorem martyrii præcisè, ſed ad ſatisfaciendum præcepto, quod in tali articulo obligat ſub mortali. Unde ſi quid illorum per ignorantiam, oblivionem, aut aliter inculpatè omittatur, valet martyrium.

R. 2. in peccatore præter acceptationem mortis, requiritur inſuper aliqua pœnitentia, ſe dolor ſupernaturalis de peccatis, vel formalis, vel ſaltèm virtualis. Bellarm. Henriquez Leſſ. Præpoſ.

Amicus &c. contra Vegam, Sotum, & alios qui volunt sufficere voluntatem moriendi pro fide, saltèm in casu naturalis oblivionis, quam sententiam putat probabilem Lessius & ut talem defendit Suares.

Nititur hæc responsio maximè Trid. sess. 14. can. 1. dicente *fuit quidem pœnitentia universis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent:* & verò si fuit semper necessaria ad effectum Baptismi, ut alibi dicitur, etiam ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, à fortiori requiritur ad effectum martyrii, cùm dicta Sacramenta sint media per se instituta ad justificationem peccatoris, non martyrium.

Coll. ex dictis, eum qui mortem pro Christo ex qualicumque motivo acceptaret ac subiret, & interim actualiter adhæreret peccato mortali, vel illud ante commissum non retractaret, saltèm virtualiter, non fore Martyrem, sed esse damnandum.

Notant tamen DD. Divinæ Providentiæ esse id præcavere, & ita res suaviter disponere, ut nemo pro Christo vitam perdat in peccato mortali.

Q. 6. *Quid si Martyr decedat cum actuali affectu ad peccatum veniale?*

R. Peccatum illud quoad culpam remittendum statim post mortem, eo modo quo cujuslibet justi venialia remittuntur: at pæna quæ aliis justis maneret exsolvenda in purgatorio, in Martyribus simul cum culpâ remitti intuitu Martyrii.

Malunt aliqui dicere Martyris animam eo casu statim à morte eliciturам actum contritionis, quâ culpa venialis & pæna ei debita remittatur, non ex merito contritionis, quia post mortem cessat meritum, sed intuitu Martyrii.

CA-

CAPUT X.

De Sacramento Confirmationis.

CONfirmatio, sic dicta à primario ejus effectu, qui est spiritualis corroboratio ad fidem intrepidè profitendam, est Sacramentum à Christo institutum in ultimâ Cœnâ, ut habetur ex Fabiano Papâ epistolâ 2. c. 1. ubi Pontifex jubet Episcopos singulis annis die Iovis Sancto Chrisma conficere; additque rationem, quia illo die Dominus JESUS, postquam cœnavit cum Discipulis suis, *Chrisma conficere docuit*, hoc est Sacramentum Chrismatis, seu Confirmationis instituit.

Q. 1. *Quæ sit materia remota hujus Sacramenti?*

R. Esse Chrisma confectum ex oleo & balsamo. Et oleum quidem est de necessitate Sacramenti, balsamum verò saltèm de necessitate præcepti; imò probabilius est, etiam esse de essentiâ Sacramenti. S. Tho. Suar. Bonac. Coninck, Sylvius &c. contra Cajetanum, Sotum, Valentiam, Navarrum &c. docentes balsamum solùm esse de necessitate præcepti. Vide Florentinum in Decreto Eugenii.

Nota tamen non esse necesse ut quælibet pars Chrismatis contineat formaliter substantiam balsami (cùm modicum tantùm balsami multo oleo misceri soleat) sed sufficere quòd sit desumpta ex toto mixto, & habeat saltèm odorem balsami.

Q. 2. *Cujus sit Chrisma benedicere seu conficere?*

E

R. Ad valorem Sacramenti requiritur ut Chrisma sit benedictum, & quidem ab Episcopo.

Prima pars est certa: secunda, quam tenent S. Th. Suares, Præpos. & alii communiter contra Cajetanum. Prob. ex Florentino supra expressè docente materiam hujus Sacramenti esse Chrisma *ab Episcopo benedictum*.

Hinc non potest simplex Sacerdos, etiam ex commissione Summi Pontificis Chrisma conficere. S. Tho. Suar. & alii communiùs, contra Scotum, Valent. Cajet. Amicum &c.

Item contra Ledesmam, qui putat id posse fieri etiam ex solâ commissione Episcopi.

Prob. 1. ex Concilio Tolet. 1. can. 20. reprehendente usum contrarium quibusdam in locis usurpatum, & jubente per solos Episcopos consecrari.

Prob. 2. Ex Florent. quod dicens posse simplicem Sacerdotem aliquando confirmare ex Pontificis cōmissione; addit, Chrismate per Episcopum confecto. Debet autem Chrisma eo anno esse consecratum, quo datur confirmatio, non quidem ex necessitate Sacramenti, sed præcepti graviter obligantis.

Q. 3. *Quæ sit materia proxima Confirmationis?*

R. Esse unctionem Chrismatis in fronte factam per modum crucis, quæ omnia sunt de necessitate Sacramenti. Colligitur ex his Florentini verbis, *ideo in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè Crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, propter quod signo Crucis signantur.*

Nota in Pontificali præscribi ut hæc unctio fiat dextro pollice Episcopi, idque probabiliter sub mortali, licèt Diana 3, p. de Sacramentis ref. 22. cum quibusdam aliis contrarium sentiat.

An autem sit de necessitate Sacramenti, ut saltem fiat immediatè manu Episcopi; incertum est. Affirm. Suares, Coninck &c. negant Hurtado, Henriquez, Amicus, Fernandes & alii docentes sicut in Extremâ-Unctione, ita etiam hîc posse fieri unctionem mediante aliquo instrumento v. g. bacillo.

Q. 4. *Quæ sit forma Sacramenti Confirmationis?*

R. Aliam esse formam Latinorum, aliam Græcorum. Forma Latinorum est hæc, *signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii &c.* Florent. quæ verba aut æquivalentia juxta communiorem sunt de essentiâ formæ, quamquam Bellarminus neget hæc verba, *Chrismate salutis*, esse essentialia, imò Estius & Amicus negent esse essentialem invocationem SS. Trinitatis. quorum sententia maximè confirmatur ex formâ Græcorum, invocationem illam nullo modo exprimente.

Cæterùm quidquid sit de formâ præcisè essentiali, certum est verba omnia quæ ex Florentino attulimus esse de necessitate præcepti, neque quidquam illorum omitti posse in Ecclesiâ Latinâ, sine peccato gravi.

Forma Græcorum est hæc: *signaculum donationis Spiritûs Sancti*: subintellige *ly est* vel *ly accipe* &c. ut sensus sit: hâc consignatione donatur, vel donetur Spiritus Sanctus. Quam formam esse antiquissimam, & semper fuisse in usu apud Græcos ostendit Arcudius lib. 2. c. 6. & 7. vide Isambertum & Amicum, quorum primus istam Græcorum formam rejicit ut invalidam, alter defendit ut validam.

Q. 5. *Quis sit Minister hujus Sacramenti?*

R. Minister ordinarius est solus Episcopus. Est de fide ex Trid. Florent. &c. Potest tamen simplex Sacerdos ex commissione Pontificis (non ali-

ter) validè & licitè confirmare, juxta illud Florentini: *ordinarius Minister* (nempe Confirmationis) *est Episcopus*. Et infra: *legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causâ, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

Circa hoc Episcopi ministerium notanda sequentia.

1. Cùm Confirmatio sit actus Pastoris, ac jurisdictionis, non potest Episcopus absque veniâ licitè confirmare sibi non subditos: potest tamen dum in suâ Diœcesi confirmat, etiam accolas alienæ Diœcesis confirmare ex præsumptâ licentiâ, præsertim si id consuetudine sit receptum, uti & eos, qui cum dimissoriis ex aliâ Diœcesi veniunt suscepturi ordines, vel tonsuram. Layman, Barbosa in Trid. &c.

2. Episcopus tenetur sub peccato gravi non multo tempore sine causâ differre collationem Confirmationis. Sylvester, Layman, Suares.

3. Non obligatur Episcopus confirmare jejunus, quamvis id maximè conveniat. Hurtado.

Q. 6. *Quinam sint capaces Confirmationis?*

R. Omnes & soli baptizati, etiam infantes ante usum rationis, imò & perpetuò amentes, qui licèt nunquam futuri sint capaces professionis fidei, sunt tamen capaces effectûs præcipui, scilicet augmenti gratiæ.

Nota licèt olim (quod etiamnum observant Græci) statim post Baptismum confirmarentur; jam tamen usus obtinuit apud Latinos, ut non confirmentur ante annum circiter septimum, quo incipit illucescere usus rationis; à quâ consuetudine, per se loquendo, recedere non licet; expedit tamen eos tempestivè confirmari antequam innocentiam baptismalem amittant; quamvis putet Sotus non fore

negligentiam culpabilem, si ad annum 12. vel 14 differatur.

Dixi *per se loquendo*, quia in casu periculi mortis, aut nimis diuturnæ dilationis, si præsens occasio prætermittatur, possunt quilibet infantes licitè confirmari.

Quoad perpetuò amentes, quamvis validè & cum fructu confirmari possint; & dicat Suares Episcopos teneri tales confirmare, non videtur tamen esse in usu ut confirmentur.

Q. 7. *An sit obligatio suscipiendi Confirmationem*?

R. Per se loquendo non esse, saltèm gravem. S. Tho. Sotus, Suares & alii communiùs contra Scotum, Sylvestrum &c. olim tamen videtur fuisse obligatio sub mortali, sive ex præcepto, sive ex consuetudine Ecclesiæ. Vide Layman. Si quis tamen ex contemptu, vel cum aliorum scandalo negligeret hoc Sacramentum suscipere; peccaret mortaliter.

Q. 8. *An non Confirmatus suscipiens Ordines peccet?*

R. Secluso scandalo, & contemptu, non videri peccare mortaliter, Navar, Suares & alii communiùs contra Tannerum; quia non est unde petatur ista obligatio tam gravis: nam verba Trid. sess. 23. c. 4. de primâ tonsurâ non conferendâ necdum confirmatis, non diriguntur ad suscipientes, sed ad Episcopos, neque hos ipsos graviter obligãt, cùm sint solùm directiva, non præceptiva.

Q. 9. *Quænam ex parte suscipientis requiratur dispositio ad hoc Sacramentum licitè, & cum fructu suscipiendum*?

R. In iis qui sunt in statu gratiæ (sermo est de habentibus usum rationis) sufficit intentio, etiam probabiliter interpretativa: at in peccatoribus per se loquendo, requiritur perfecta contritio, vel Sacramentum Pœnitentiæ: est enim hoc Sa-

cramentum unum ex Sacramentis vivorum, quæ in suo subjecto prærequirunt statum gratiæ, seu vitam spiritualem.


Q. 10. *Quis sit effectus Confirmationis?*

R. 1 Est augmentum gratiæ sanctificantis & virtutum ei annexarum.

2. Auxilia quædam specialia ad fidẽ fortiter profitendam, & superandas tentationes contra illam.

3. Character, ex quo patet malè à Græcis reconfirmari eos, qui ab heresi resipiscunt, licèt antè fuerint validè confirmati, quod est contrà praxim antiquæ eorum Ecclesiæ, & doctrinam Græcorum PP. Chrysostomi, Theodoreti & aliorũ apud Arcud.





TRACTATUS III.

DE EUCHARISTIA.

Eucharistia, ut est Sacramentum, constituitur ex Christi Corpore, & speciebus, quæ probabiliter etiam intrinsecè illud componunt, non cõsecratio, nec sumptio.

Consistit enim hoc Sacramentum non in usu, seu actione transeunte, sicut cætera Sacramenta, sed in re permanente, nempè Corpore, aut Sanguine Christi, & speciebus, quæ extrà usum, hoc est consecrationem & sumptionem, habent rationem Sacramenti.

Anima Christi, Divinitas &c. quæ in hoc Sacramento ponuntur per concomitantiam, non pertinent essentialiter ad rationem hujus Sacramenti; quia sine illis salvari potest ejus essentia: nam si in triduo mortis Apostoli consecrassent, fuisset essentia hujus Sacramenti absque Animâ Christi. De Eucharistiâ, ut Sacrificium est, dicetur postea.



CAPUT I.

De Necessitate hujus Sacramenti.

Q. 1. *An Eucharistia in re suscepta sit necessaria ad salutem necessitate medii?*

R. Neg., nec respectu parvulorum, nec respectu adultorum.

1. pars est de fide ex Trid. Sess. 21. canon. 4. *Si quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem, anathema sit.*

2. Pars est etiã certa, & fidei proxima, ex eodem Trid. Sess 5. decreto de peccato originali. §. 5. universaliter definiente Baptizatos vi Baptismi fieri Deo dilectos, hæredes Dei, & cohæredes Christi, *ita ut nihil prorsùs eos, ab ingressu Cœli remoretur:* quod falsum esset, si præterea requireretur realis sumptio Eucharistiæ.

Q. 2. *An saltem suscepta in voto sit necessaria?*

R. Neque in voto propriè dicto esse necessariam necessitate medii.

Prob. 1. De parvulis, quia non sunt capaces voti, seu desiderii de quo hìc agimus.

Prob. 2. Generaliter, quia ut aliquid sit necessarium necessitate medii ad salutem, sive in re, sive in voto, debet esse medium ordinatum ad justificationem, quæ est via unica ad salutem. Atqui talis non est Eucharistia, quæ justificationem præsupponit.

Dixi. *In voto propriè dicto:* quia adultus qui necdum communicavit, non potest justificari absque

voto saltem implicito aliquando communicandi. Verùm hoc non oritur ex eo quod Eucharistia sit medium ordinatum ad justificationem, sed ex eo quod justificari non possit absque voto, saltem implicito servandi omnia præcepta: cum enim inter illa sit præceptum aliquando communicandi, in voto illo generali includitur votum Communionis.

Q. 3. *An sit necessaria ad perseverandum in gratiâ?*

R. Neque ad hoc esse absolutè necessariam, nec in re, nec in voto. Quòd non in re, patet, quia alioqui salvari non possent ii, qui etiam inculpabiliter non possent eam suscipere.

Quòd neç in voto. Prob. Quia si quæ esset ratio, peteretur ex parte tentationum, & occasionum peccandi, quibus non videtur homo posse constanter resistere sine Eucharistiâ, quę ratio non videtur sufficiens, quia non desunt alia media v. g. orationes, jejunia, &c quibus possimus saltem aliquamdiu à peccato præservari.

Cæterùm dicendum cum Suar. & aliis Eucharistiam, quâdam necessitate morali minùs strictè acceptâ, necessariam esse ad diu in gratiâ perseverandum, & valdè esse timendum, ut notat Cyprianus ad illa verba orationis Dominicæ *panem nostrum* &c. *ne, qui abstinentes à susceptione hujus Sacramenti separantur à Christi Corpore, procul remaneant à salute.*

Dices Sicut Ioan. 3. dicitur *nisi quis renatus fuerit &c.* Ita Ioan. 6. dicitur *nisi manducaveritis carnem Filii Hominis* &c. *non habebitis vitam in vobis.* Ergo Eucharistia tam est necessaria necessitate medii, quàm Baptismus.

Confirm. Quia nonnulli PP. & nominatim Aug. apud Suarem, Vasq. Lugo, &c. dicunt hoc Sacramentum esse necessarium omnibus, etiam pueris, &

de his æquè ac de adultis verificari illa verba *nisi, manducaveritis carnem Filii Hominis* &c. atqui respectu parvulorum non possunt illa verba importare necessitatem præcepti, cujus non sunt capaces, ergo important necessitatem medii.

R. Illa verba *nisi manducaveritis* &c. esse indifferentia ad significandam necessitatem medii, vel præcepti, ut patet ex illo Matt. 18. *nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli non intrabitis in Regnum Cœlorum:* ubi ly *nisi* quatenus importat conversionem à peccatis, significat necessitatem medii, quatenùs autem importat humilitatem, significat necessitatem præcepti.

Igitur si qui Patres necessitatem *manducandi carnem Filii Hominis* etiam extendant ad parvulos, intelligendi sunt, non in sensu litterali de manducatione Sacramentali, seu reali, sed in sensu mystico, vel de manducatione abstrahente à corporali & spirituali seu mysticâ, quæ fit per susceptionem Baptismi, vi cujus unimur, & incorporamur tùm Ecclesiæ, tùm ipsi Christo, per fidem & gratiam, quo sensu subinde ab Augustino sumuntur hæc verba *nisi manducaveritis carnem Filii Hominis* &c vel de manducatione quidem corporali Eucharistiæ, sed abstrahente à manducatione in re, vel in voto, seu propriè, seu impropriè dicto, quæ extenditur etiam ad parvulos, cum votum impropriè dictum secundùm S. Thomam quæst. 73. art. 3. includatur in ipso Baptismo



CAPUT II.

De materiâ Eucharistiæ speciatim de pane.

SAnctus Thomas hîc art. 1. docet panem & vinum esse materiam hujus Sacramenti, nempè extrinsecam & transeuntem : agemus hoc capite de pane, qui convertitur in Corpus Christi, & sequenti de vino, quod in sanguinem.

Q. 1. *Qualis debeat esse panis consecrabilis?*

R. Debere esse triticeum, idque non solùm de necessitate præcepti, sed etiam de necessitate Sacramenti.

Colligitur ex Florent : simpliciter dicente materiam Eucharistiæ esse *panem triticeum*, & *vinum de vite.*

Hinc in rubricis missalis de defectibus dicitur, non confici Sacramentum, si panis non sit triticeus: ex quo patet hunc esse sensum, & praxim Ecclesiæ.

Coll: non omnem panem usualem, sed illum solùm qui confectus est ex illo frumenti genere, quod communi peritorum judicio censetur triticum, esse materiam hujus Sacramenti : unde sequitur excludi panem confectum ex leguminibus, ut fabis, pisis, &c. Item ex radicibus herbarum, aut fructibus arborum, ut glandibus, castaneis, amigdalis. Item juxta communem ex orizâ, hordeo, avenâ &c.

Major est difficultas de siligine, farre, speltâ, & similibus, quæ propiùs accedunt ad triticum: de quibus dicenda sequentia.

1. Siligo, sumpta pro eo quod vulgò dicitur *secale*, habenda est pro materiâ dubiâ. Affirmat quidem Sanctus Thomas ad 2. esse materiam sufficientem: cujus ratio est quod simile generet sibi simile in specie, licèt aliquando accidentaliter diversum, constet autem ex tritico in malis terris generari siliginem. Idem affirmant Sotus, Sylvester &c. quos sequuntur Layman, Pet. Ledesma, Estius &c. rationem dat Layman, quia videmus variis in locis, ubi alioqui non deest triticum, è siligine communiter fieri panem usualem. Nihilòminùs quia varii, ut Vasq., Sylvius &c. absolutè negant esse materiam sufficientem, & Suares, Coninck. &c. illam habent pro dubiâ, & ego illam pro tali habendam censeo.

Dixi. *Sumpta pro eo* &c. nam de siligine sumptâ pro selecto & optimo tritico, & quam Plinius lib. 18. cap. 8 appellat tritici delicias, non potest esse dubium, quin sit materia idonea.

2. De farre nihil absolutè dici potest, nisi conveniat priùs, quid per illud intelligatur: nam si sumatur pro frumento quodam durissimo, ex quo vix fieri possit panis usualis (qualiter illud sumpsisse Sanctum Tho. testatur Sotus) non est apta materia; secùs si (ut alii volunt) significet optimum genus tritici.

3. De speltâ idem fermè dicendum ac de siligine, affirmantibus aliis, aliis negantibus esse materiam sufficientem, adeóque censeri debere dubiam. Certè spelta nostra Belgica similis est tritico colore, & sapore, adeò ut authores, qui dicunt speltam magis à tritico recedere, quàm siliginem, & hordeo vel avenæ similiorem esse, videantur aliter sumpsisse nomen speltæ, quàm nos in Belgio sumimus: vide Chapeauville, de modo Sacramenta administrandi c. 4. q. 19.

Quod Nugnus docet de siligine, idem dici potest de speltâ, scilicet esse sufficientem materiam ut licitè adhiberi possit in casu gravis necessitatis, qualis est, inquit, nè moriatur homo sine Sacramento, vel ne die festo maneat totus populus sine sacrificio.

Q. 2. *Quid, si panis confectus sit ex tritico non puro sed mixto ex avenâ, hordeo &c. ?*

R. Si materia insufficiens admixta sit in tantâ quantitate, ut morali æstimatione nõ dicatur absolutè panis triticeus, non est materia consecrationis: secùs si mixtio sit modica, nec desinat esse panis triticeus: tunc enim validè consecrabitur. Curandum tamen ob reverentiam Sacramenti, ut quantùm fieri potest, semper adhibeatur purum triticum.

Q. 3. *Quomodo confici debeat panis consecrabilis ?*

R. ex farinâ tritici, mixtâ aquâ naturali, tostâ igne. S. Tho. & alii communissimè: quia hic conficiendi modus requiritur ad panem usualem simpliciter.

Dicitur 1. *ex farinâ :* hinc si grana integra coquantur cum aqua, non erit materia sufficiens. Panis confectus ex amydo est ut minimùm materia dubia, unde graviter peccaret, qui in eo consecraret: nam licèt fiat amydum ex tritico, nõ tamen fit ex eo comminuto, & in farinam contrito, sed ex liquore albo, ex granis integris diù in aquâ maceratis expresso, ac denique siccato: unde vel est substantialiter diversum à farinâ, vel saltem moraliter, seu usualiter, quod sufficit.

Dicitur 2. *Mixtâ aquâ naturali* Hinc liba, placentæ, & similia mixta lacte, melle &c. Item panis ex aquâ rosaceâ confectus, non sunt materia consecrabilis. S. Tho. &c. licèt de ultimo contrarium sentiant, Cajet. & aliqui alii. Unde nec erit cõsecrabilis panis in cujus confectione apponuntur ova, butyrum, aromata, succi herbarum, vinum &c. si nempè hæc apponantur in notabili quantitate.

nam si parum aquæ rosaceæ, aut butyri apponatur, validè consecrabitur, licèt illicitè. Præpositus q. 74. n. 24.

Dicitur 3. *Tostâ igne* : hinc pasta, seu massa cruda non est materia consecrationis, sive physicè substantialiter differat à coctâ: ut vult S. Tho. : sive non, ut Scotus. Item elixa, frixa, durata ad solem &c. Non tamen refert an sit cocta in furno, an sub cinere, an intra ferrum calidum, an intra vas fictile &c. quia his postremis modis censetur verus panis usualis.

Q. 4. *An panis tam azymus, quàm fermentatus sit materia sufficiens?*

Magna semper fuit hâc in re diversitas inter Latinos & Græcos; his pane fermentato, illis azymo pro consecratione utentibus, quòd græci, præsertim Schismatici, Christum in fermentato asserant consecrasse, Latini in azymo. Pro quo vide Interpretes.

R. Uterque panis tam fermẽtatus, quàm azymus, est materia sufficiens consecrationis, ita tamen, ut Latini ex præcepto Ecclesiæ teneantur consecrare in azymo, Græci in fermentato.

Prob. 1. Pars 1. Ex Florentino in decreto Eugenii ubi consentientibus tàm Grecis, qui aderant, quàm Latinis, definitum est, *sive in azymo, sive in fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici.*

Prob. 2. Ratione S. Tho. quia panis triticeus tam azymus, quàm fermentatus, est verè panis, & quidem usualis; de fermentato patet, de azymo, Prob. Ex praxi Iudæorum, qui totâ paschali solemnitate eo vescebantur, ut patet ex Exod. 12. & probabilius est ipsum Christum Sacramentum hoc instituisse in azymo, ut demonstrant Latini Interpretes.

Prob. 2. Pars ex Florent. ibidem & ex consti-

tutione 12. Pii V. revocantis Latinorum licentiam celebrandi more Græcorum. Porrò hoc præceptum, cùm sit de re gravi, obligat sub mortali. Et quo ad Latinos quidem colligitur ex cap. *litteris*, de celebratione missarum; ubi graviter punitur Sacerdos quidam ob celebrationem in fermentato.

Neque titulus necessitatis v. g. ne æger sine Viatico decedat excusat ab hâc obligatione, sicut nec talis titulus sufficit, ut Sacerdos sine paramentis, vel vasis sacris celebret. Ratio est quia Eucharistia hîc & nunc suscipienda, non est absolutè necessaria ad salutem.

Q. 5. *Quid dicendum de Latino agente inter Græcos, vel Græco agente inter Latinos?*

R. 1. Si agant tâquam incolæ loci in quo degunt, adeóque ratione domicilii, Græcus censeatur membrum Ecclesiæ latinæ, & Latinus membrum Ecclesiæ græcæ, tenentur se conformare Ecclesiæ cujus sunt membrum.

R. 2. Si Græcus, inter Latinos degens, habeat templum in quo observantur ritus Græci (quale est Romæ Templum Collegii Græcorum) tenetur celebrare in fermentato. Similiter Latinus habens Templum sui ritûs inter Græcos, ut varii Religiosi nostrates habent in Oriente, tenetur celebrare in azymo.

Advertendum tamen istis casibus non esse permissum Latinis in Ecclesiâ Græcorum consecrare ritu Græco, nec Græcis in Ecclesiâ Latinorum ritu Latino. Coninck disp. 74. n 119.

R. 3 Si Latinus tanquam peregrinus transeat per Græciam, potest celebrare vel in azymo, vel in fermentato pro arbitrio; & similiter Græcus transiens per loca Latinorum. Sylvius, Coninck, Filliuc. &c

Quod possint Ecclesiæ suæ se conformare constat

ex praxi Ecclesiæ Latinæ, Græcis apud se peregrinantibus id permittentis: quòd autem possint se conformare ritui loci, est communior, contra Vasq.

CAPUT III.

De materiâ Calicis.

Materia Calicis ex Florent. est vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima adhiberi debet. circa hæc.

Q. 1. *An vinum de vite sit materia necessaria Calicis?*

R. Affirm. ex Florent. & universali cōsensu Ecclesiæ, fundato in facto Christi. Matt. 26. ut autem sit consecrabile non tantùm debet esse substantialiter vinum, sed etiam moraliter; id est tale, ut morali hominum æstimatione censeatur vinum usuale, seu communiter potabile.

Hinc non valent 1. succi expressi ex quibuscumque aliis fructibus, ut cerasis, pomis, pyris, &c 2. Agresta, hoc est succus expressus ex uvis immaturis, lora, hoc est liquor qui post vini expressionem ex acinis aquâ perfusis exprimitur. Vinum aromatibus ita conditum ut amittat moraliter speciem vini. Item verum acetum.

Dico *verum*, quia si sit tantùm vinum acescens, seu tendens ad corruptionem, est materia sufficiens, sicut panis mucidus. Et de ejusmodi acescente vino, loquitur Innocentius 3. l.4 de mysteriis Missæ c. 31. dicens acetum esse materiam consecrationis.

Si de aliquibus dubitetur an retineat rationem vini

vini ; dubia erit materia, adeòque illicita.

Valet autem mustum seu vinū recens nondum defœcatum, sed recenter ex uvis maturis expressum, quamvis ob indecentiam illo uti non liceat, saltem regulariter.

Quòd addo, quia teste S. Tho. art. 5. ad 3. in casu necessitatis licitum est botrum maturum supra calicem exprimere, & in eo consecrare, ut habetur cap. *cum omne*, de consecratione dist. 2. *si necesse sit, botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur.*

Botrus tamen nondum expressus, seu liquor adhuc in botro contentus, non est consecrabilis; quia pro illo statu non habet rationem vini. Vasq. Hurtad. &c.

Addit Lugo pro eo statu non esse quid sufficienter demonstrabile, nec ratione sui, ut patet, nec ratione uvæ, in quâ continetur, cùm non sit in eâ tanquam in vase, sed tanquam pars in toto.

Difficultas est de vino actualiter congelato, quod Alanus, Ledesma, Henriq, &c. negant esse materiam consecrationis, eo quòd sub illo statu non habeat rationem potûs.

Verior tamen sententia est, esse materiam sufficientem. Silvest. Angelus, Soto, Suar, Vasq. Tanner. & alii communiùs. Ratio est quia congelatio per se non corrumpit substantialiter vinum, alioqui enim per congelationem calicis consecrati, desineret ibi esse Sanguis Christi, quod, præter Alanum, nemo admittit, & contrarium supponunt rubricæ Rom, præscribentes, ut si congelentur species vini consecratæ calefiant, & resolvantur calidis linteis ad calicem applicatis, vel aliter.

Ad rationem in contrarium respondetur vinum congelatum retinere rationem materiæ de se potabilis; licèt per accidens, & prout est sub illo

ſtatu non ſit proximè potabile. Sic panis ita exſiccatus & induratus, ut non ſit proximè comeſtibilis, non deſinit eſſe materia conſecrationis.

Cæterùm quia ob probabilitatem ſententiæ oppoſitæ vinum congelatum non eſt materia certá, non licet illud conſecrare ſine aliquà neceſſitate. unde ſi in praxi advertas ante conſecrationem vinum eſſe congelatum, debes priùs reſolvere glaciem, aut partem congelatam extrahere, & vinum reſolutum, vel quod reſtat, extractâ glacie, potes ſine ſcrupulo conſecrare. Ita Præpoſ. & alii: quamvis Suares dicat eſſe conſultius, accipere vinum novum, & illud offerre ac conſecrare. Vaſq. putat etiam licere actu congelatum, & non reſolutum conſecrare, quod poteſt eſſe uſui, ſi non poſſit commodè reſolvi glacies.

Q. 2. *An admixtio aquæ modicæ ſit neceſſaria?*

R. Eſſe neceſſariam, non neceſſitate Sacramenti, ut patet ex modo loquendi Florentini, aſſignantis directè vinum de vite, & indirectè aquam miſcendam, ſed neceſſitate præcepti, ſaltèm Eccleſiaſtici. Trid. ſeſſ. 22. cap. 7 *monet deinde Sancta Synodus præceptū eſſe ab Eccleſiâ Sacerdotibus ut aquā vino in Calice offerendo miſcerent; tum quòd Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur; tum etiam quia è latere ejus aqua ſimul cum ſanguine exierit &c.*

Dixi *ſaltèm Eccleſiaſtici*, quia DD. non pauci putant etiam eſſe juris Divini, & ideò Eugenium in Concilio Florent. negaſſe Armenis poteſtatem conſecrandi in puro vino.

Q. 3. *Qualis, & quanta aqua admiſceri debeat?*

R. Debere eſſe naturalē ſeu elementarē. Pro quātitate autem non oportere eſſe ſcrupuloſos, quamvis enim ex Florentino debeat eſſe modicíſſima, & teſte Soto, Suare, & aliis, unica gutta ſufficiat, modò ſit ſenſibilis, poſſunt tamen infundi plures guttæ, imò octava vel decima pars reſpectivè ad

vinum, quod est in calice, vel etiam sexta, ut quidam tenent apud Henriquez lib. 8. cap. 12.

Q. 4. *Vbi, & quando admiscenda sit ista aqua?*

R. 1. Apponendam esse in ipso Altari, & in Calice. vnde non sufficit quòd constet aquam antea fuisse vino admixtam, v. g. in urceolis, vel doliis. S. Tho. art. 8. ad 3.

R. 2. Apponendam esse aquam ante consecrationem, idque immediatè ante oblationem calicis juxta Rubricas Missalis Rom:, vel saltem juxta morem proprium quorumdam Religiosorum immediatè ante Sacrúm: quòd si oblivione, vel quocũq; alio casu contingat mixtionem illam suo tēpore & loco non esse factam, suppleri debet ante consecrationem, non verò post.

Et verò Græci qui post consecrationem admiscent aliquid aquæ calidæ, ad significandam aquam egressam de Christi recèns mortui latere adhuc calente, nihilominùs etiam ante oblationem nostro more admiscent aliquid frigidæ. Arcudius l. 3. cap. 39.

An autem aqua vino admixta vi consecrationis convertatur immediatè in sanguinem, aut necesse sit ut convertatur priùs in vinum, cùm ad praxim nihil faciat, non est nostri instituti inquirere.

Hoc solùm monendum est, ut aqua misceatur vino in quantitate notabiliter minore, quàm sit ipsum vinum.

1. Quia aliàs non posset ita à vino absorberi & immutari, ut subiret naturam vini, saltèm secundùm apparentiam externam, quod tamen est necessarium.

2. Quia aliàs non esset ratio, cur aqua potiùs diceretur mixta vino, quàm vinum aquæ; cùm tamen Concilia & Patres dicant aquam miscendam vino, non contra.

CAPUT IV.

De quantitate, præsentiâ, & determinatione materiæ consecrabilis.

Q. 1. *Quæ quantitas, seu panis, seu vini requiratur?*

R. 1. Quælibet pars panis & vini, quantumvis exigua, etiam insensibilis, de facto consecratur, quando conjuncta est toti continuo, quod consecratur. Patet, quia aliàs cùm possit tota materia dividi in partes insensibiles, nihil esset consecratum.

R. 2. Potest quantũvis parva pars etiam separatim consecrari, modò sit in se sensu humano perceptibilis, & demõstrabilis per pronomẽ *hoc* vel *hic*.

R. 3. Si pars sit adeò exigua, ut nullo possit sensu humano in se percipi naturaliter, adeòque nec in se demonstrari, non potest separatim validè consecrari. Suar. Vasq. Lugo, Præpositus, Coninck &c. contra Sotum, Valentiam, Henriquez, Tannerum, &c.

Prob. quia forma consecrationis requirit, ut materia humano modo demonstretur, id enim significat, ly *hoc* & *hic*.

Nec refert quòd pars, ob parvitatem insensibilis, separata à toto retineat suam consecrationem (licèt hoc ipsum neget Amicus, & alii) quia generaliter plus requiritur ad productionem cujuslibet rei, quàm ad conservationem.

R. 4. Potest validè consecrari quantumvis magna quantitas seu panis, seu vini, modò tota sit

moraliter præsens. S. Tho. art. 2. dicens posse consecrari totum panem, qui videtur in foro, aut totum vinum, quod est in dolio.

Dixi *modò tota &c.* quia dubitari potest, an sufficiat ipsum totum ratione partium aliquarum tantùm esse præsens consecranti, ad hoc, ut quælibet ejus partes, quantumvis distantes, & extra sensum positæ consecrentur. Communior sententia negat. Vasq. tamen disp. 171. n. 25. inclinat in affirmativam, quam absolutè tenet Hurtado disp. 2. difficult. 18.

Q. 2. *Quæ præsentia materiæ requiratur ad validè consecrandum?*

R. Requiritur 1. præsentia localis; quæ quanta præcisè esse debeat, definiri non potest. Hurtado putat materiam non esse sufficienter præsentem, si distet 40. passibus. Henriquez & Sotus dicunt sufficere propinquitatem 20. pedum. Hoc certum, in praxi sequendam esse consuetudinem, imò præceptum Ecclesiæ, ut semper materia consecranda coram Sacerdote exponatur in altari,

2. Requiritur præsentia moralis, quæ præter præsentiam, physicam, seu localem requirit, ut materia vel de facto percipiatur à celebrante sensu aliquo corporeo, v. g. visu, vel tactu; vel saltèm sit ita exposita, ut quantùm est de se, minimo oculorum motu percipi possit.

Adverte tamen 1. non esse necesse ut materia consecranda percipiatur in se, seu tactu, seu visu, sed sufficere si percipiatur in proximo continente.

Hinc formulæ in ciborio clauso, vel corporali complicato; vinum in calice, etiam non detecto &c. validè consecrantur.

Non tamen validè consecrarentur formulæ intra tabernaculum clausum, aut latentes sub mappâ, vel corporali; quia tunc corporale non habet ra-

tionem continentis, nec tabernaculum rationem proximi continentis, ita ut eo demonstrato dici possit *hic est panis*, sicut demonstrato corbe, dicitur *hic est panis*, & demonstrato dolio, *hoc est vinum*.

Adverte 2. Non requiri ut tota materia, vel totum continens percipiatur, sed sufficere si pars ejus percipiatur.

Hinc Hostiæ quæ sunt in fundo ciborii, & partes vini in fundo calicis, tam consecrantur, quàm superiores.

Coll. 1. non validè consecrari materiam interjecto corpore opaco, v. g. pariete: Si tamen corpus interjectum sit diaphanum, seu transparens, v. g. fenestra vitrea, probabiliter non tollit præsentiam moralem; unde hostia validè consecraretur trans vitrum Remonstrantiæ, id tamen ut licitè fiat, debet Remonstrantia insistere Altari, nec licet consecrare eâ positâ in tabernaculo, vel supra illud.

Col. 2. Quamvis celebrans in librum conversus nihil actu videat eorum quæ consecrat, nempe nec hostiam majorem, nec minores in ciborio, vel corporali contentas, imò nec ipsum ciborium, aut corporale, validam esse consecrationem. Item si nec vinum in calice, nec ipsum calicem videat, aut etiam tangat.

Q. 3. *Qualiter materia consecranda determinari debeat à Sacerdote?*

R. Debere in particulari determinari ex Sacerdotis intentione.

Hinc nihil efficeret Sacerdos, qui ex decem hostiis vellet tantùm consecrare quinque in confuso, nec qui unius hostiæ alterutram medietatem indeterminatè consecrare, nec qui ex pluribus solùm intenderet consecrare unam, aut duas, quas Deus vellet designare.

Pro praxi observanda sunt hæc:

1. Non est necesse singulas hostias designari quoad numerum, sed sufficit eas designari in toto objecto, quod proponitur.

Hinc si Sacerdos verba consecrationis proferat super duplicem hostiam, quam manu tenet, putans esse unicam, vel supra duodecim hostias, putans tantùm esse decem, nihilominùs omnes regulariter consecrantur. Ratio est, quia talis absolutè intendit consecrare totum illud, quod præ manibus, vel ante se habet.

Aliud esset, si quis expresse ita restringeret intentionem ad hanc hostiam, quam videt, ut nollet aliam consecrare, tunc enim certum est illam solam consecrari.

2. Si contingat hostiam non consecratam casu admisceri consecratis, nec possit discerni, non potest Sacerdos velle illam solam cõsecrare, cùm exteriùs designari non possit, & probabiliter non sufficiat designatio merè interna. Eo igitur casu ad tollendũ inconveniens dandæ essent singulis communicantibus duæ, vel tres hostiæ.

3. Non requiritur determinatio actualis, sed sufficit virtualis, juxta alibi dicta de sufficientiâ intentionis virtualis. Hinc si Sacerdos hostias minores super corporale consecrandas posuerit, vel ab æditus positas adverterit, easque consecrare intenderit, etiamsi in ipso actu consecrandi de iis non cogitet, nec ciborium in quo positæ sunt aperiat, eas tamen verè consecrat.

Itaque ad tollendum omnem scrupulum, expedit ut Sacerdos statim atque adverterit hostias ad consecrandum positas, eliciat actum expressum quo intendat eas consecrare.

4. Si hostiæ non sint in ipso Altari, sed alicubi prope illud ex oblivione sint relictæ, probabiliter non consecrantur, quamvis Sacerdos antea habuerit intentionem eas consecrandi, tum quia

non videntur connaturaliter designari per ly *hoc*, tum quia præsumi non debet Sacerdos voluisse intentionem suam extendere ad eas contra praxim & præceptum Ecclesiæ consecrandas in eo loco, in quo non possunt sine gravi peccato consecrari.

5. Si sint positæ quidem in Altari, sed alicubi extra corporale ad latus, res est dubia, & maximè pendet ab intentione celebrantis. At si positæ sint, non quidem supra corporale, ut præscribunt rubricæ, sed prope illud v. g. à parte Evangelii inter librum & corporale, dicendum omninò videtur esse consecratas. Nam licèt rubricæ præscribant ut hostiæ consecrandæ ponantur supra corporale, si tamen id ex oblivione, aut aliter omittatur, non peccat Sacerdos, saltèm graviter, nec desinunt hostiæ consecrari; sicut non desinunt consecrari clauso ciborio, quod rubrica præcipit aperiri. Atque hæc & ante dicta etiam vera sunt, licèt hostiæ consecrandæ allatæ sint post oblationem, factâ scilicèt mentali earum oblatione.

Q. 4. *Quid dicendum de guttis vini Calici adhærentibus separatim à toto?*

R. Eas quæ extrinsecùs adhærent, non consecrari, cum enim cõsecrari licitè non possint, præsumi non debet Sacerdos intendere earum consecrationem.

De iis quæ intra cuppam sunt separatæ à toto, variant sententiæ: ideò ad vitandos scrupulos pro praxi expedit ut Sacerdos semel pro semper intentionem suam restringat ad id quod est præcisè continuum.



CAPUT V.

De modo quo Christus est in Eucharistiâ.

Q. 1. *Quid vi verborum ponatur sub speciebus panis, & vini?*

Nota 1. Poni vi verborum hîc non esse idem ac poni sub speciebus virtute & efficaciâ consecrationis ibi sistendo: nam hoc sensu quidquid sub illis ponitur, etiam per concomitantiam, ponitur vi verborũ: sed est vi verborũ poni directè, & per se tamquam id quod per illa immediatè significatur, & necessariũ est ad eorũ significationem. Hoc posito.

R. Sub speciebus panis vi verborum ponitur solum Corpus Christi, & sub speciebus vini solus sanguis.

Per corpus autem intelligitur corpus organicum, prout distinctum ab animâ & sanguine; item prout abstrahens à vivo & mortuo. Unde si in triduo mortis facta fuisset consecratio, solum cadaver Christi sine animâ & sanguine fuisset sub speciebus panis.

Per sanguinem probabiliter non solùm intelligitur sanguis purus, ut vult Suares, sed totum mixtum ex sanguine puro, & aliis tribus humoribus, prout continetur in venis. Lugo de incarnat. disp. 14. n. 108.

Item intelligendus est totus sanguis, quem de facto Christus habet, dum verba proferuntur; sive totus fuerit effusus, sive non, S.Tho. & alii communiter.

Ratio autem cur non ponatur sanguis vi verbo-

rum sub speciebus panis, (quamvis pertineat ad cō-plementum corporis, & illius integritatem) hæc est : quia sanguis seorsim ponitur per aliam formam vi verborum, nempe sub speciebus vini. Unde dicendum est ly *corpus* in consecratione panis non sumi pro toto illo substantialiter completo, sed prout condistincto à sanguine, idque ad mysticè declarandam separationem sanguinis à corpore in cruento crucis sacrificio.

Q. 2. *Quænam ponantur in hoc Sacramento per concomitantiam* ?

R. Sub speciebus panis per concomitantiam ponitur sanguis, sub speciebus vini ponitur corpus, sub utrisque, anima, unio hypostatica, Persona Verbi, Divinitas, Persona Patris, & Spiritûs S. ob identitatem cum Divinitate, adeòque ab illâ inseparabilitatem.

Item quantitas corporis Christi cum reliquis accidentibus à loco absolutis, saltèm permanentibus; nam de actibus transeuntibus, res est dubia. Vide Trid. sess. 13. c. 3. ubi partim explicitè, partim implicitè hæc omnia asserit, nominatim ubi dicit totum & integrum Christum sub utrâque specie contineri.

Q. 3. *An totus Christus sit sub singulis speciei partibus* ?

R. affirm. tum ante, tum post divisionem.

2. Pars est de fide ex Trid. sess 13. can. 3. definiente Christum contineri totum sub singulis speciei partibus factâ separatione. Item ex Florent.

Prima pars est etiam certa & omninò tenenda ex eodem Trident. sess 13. cap. 3 dicente absolutè : *totus enim & integer Christus sub panis specie & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub ejus partibus existit*. Suares tamen disp. 52. sect. 2. putat hanc partem non esse absolutè de fide, quia in utroque Concilio habetur *separatione factâ*.

Q. 4. *An sit totus sub quantulâcumque parte speciérum?*

R. Affirm. Est communis contra Bonavent. & paucos alios ex antiquis, volentes Christum toties solùm esse in unâ hostiâ, quot in illâ sunt minima naturalia; seu particulæ, quæ non possunt naturaliter in minores dividi. Prob. ex Trîdentino supra.

Q. 5. *Qualis sit præsentia Christi in Eucharistiâ?*

R. Esse in eâ modo spirituali, & indivisibili, id est totum in toto, & totum in quâlibet parte totius. Quæ præsentia dicitur supernaturalis in substantiâ, quia est supra omnem exigentiam substantiæ corporeæ.

Q. 6. *An Christus in Eucharistiâ aliquid patiatur, aut agat?*

R. 1. etiam seclusâ dote impassibilitatis, vi cujus est inalterabile, nihil pati potest à causis naturalibus, v. g. calore, frigore, gladio, baculo, impulsu &c. S. Tho. Suares &c. Ratio est, quia qualitas producta in corpore Christi prout existente in hoc Sacramento, deberet habere modum existendi proportionatum existentiæ sui subjecti, id est spiritualem, & indivisibilem.

Coll. 1. Nullam speciem visibilem colorum, nullum sonum, odorem &c. ad Christi organa pertingere naturaliter posse.

Coll. 2. Neque ipsum Christum posse naturaliter in suo corpore producere ullam qualitatem naturalem, adeoque nullum impulsum aut motum, non sensationem sive externam v. g. visionem, etiam proprii corporis, auditionem, odorationem &c. sive internam, ut actus phantasiæ &c.

Huic tamen doctrinæ non repugnat, quod piè credunt aliqui, humanitatem Christi supernaturaliter elevari ad videndum, & ad audiendum Sacerdotem, & alios quoslibet adstantes. Vide Suarem disp. 53. sect. 3. conclus. 2.

R. 2. Etiam verius videtur Christum ut existentem in Eucharistiâ non posse naturaliter quidquam agere in corpora, vel quantitatem specierum sibi contiguam. S. Tho. Sotus, Suares, Vasq. & alii communissimè.

Quamquam oppositum, quod tenent nominales, item Coninck, Præpositus, Amicus &c. spectatâ ratione sit valde probabile, cùm constet Angelum nonobstante suâ existentiâ indivisibili, posse agere in corpora, & in iis producere motum, & alias qualitates divisibiles.

R. 3, Nihil obstat quominùs Christus ut existens in Eucharistiâ eliciat actus voluntatis, & intellectûs, sed independenter à phantasmatibus, adeoque qui dirigantur vel per scientiam beatam, vel per infusam. Ratio est, quia actus illi sunt spirituales, & recipiuntur immediatè in animâ spirituali.

Q. 7. *Quid dicendum de accidentibus in hoc Sacramento remanentibus?*

R. Ex doctrinâ S. Tho. q. 77. dicenda sunt sequentia.

1. Accidentia remanent in hoc Sacramento sine subjecto substantiali, cùm sit de fide ex Concilio Constantiensi. Florent. & Trid. &c. nullam in eo remanere substantiam.

2 Quantitas panis & vini, quæ remanet, est subjectum aliorum accidentium, ipsa autem divinitùs conservatur sine subjecto actione velut creativâ.

3. Accidentia eodem modo agunt in extrinseca sicut ante: patet ad sensum. Quædam tamen quæ à solis accidentibus fieri non possunt supplentur à causâ primâ v. g. si species vini ante, vel post consecrationem calefiant, cùm non possint se reducere ad frigus naturale (hoc enim pertinet ad formam substantialem, ut communiter docetur in phy-

ficâ) causa prima supplet absentiam causæ secundæ.

4. Species sacramentales immutari possunt & corrumpi ab agentibus circumstantibus.

5. Ex speciebus sacramentalibus etiam aliquid potest generari, v. g vermes &c. imò & substantia hominis, cùm constet eas nutrire, & consequenter converti in substantiam aliti.

6. Dum in hoc Sacramento franguntur species, non frangitur corpus Christi, sed manet integrum sub utrâque parte speciei.

CAPUT VI.

De formâ Sacramenti Eucharistiæ.

Q. 1. *Quænam sit forma Sacramenti Eucharistiæ?*

R. Esse hanc quâ ipse Christus usus est, *Hoc est Corpus meum. Hic est calix Sanguinis mei &c.* patet ex Florentino, traditione, & perpetuâ praxi Ecclesiæ, &c.

Q. 2. *Quæ verba præcisè sufficiunt ad consecrationem panis?*

R. Sufficere ad valorem hæc præcisè verba: *hoc est Corpus meum.* S. Tho. & cum eo Theologi communissimè.

Scotus tamen in 4. dist. 8. quæst. 2. & pauci alii volunt insuper esse necessaria hæc verba antecedentia *qui pridie quàm pateretur &c.* non quidem ut essentialia, sed ad determinandam significationem verborum formæ, quæ alioqui non significarent ibi contineri corpus Christi, sed potiùs corpus loquentis.

Verùm respondetur quòd quāvis verba formę de se non sint satis determinata ad significandum corpus Christi, supposità tamen Christi institutione, partim ex intentione Sacerdotis; partim ex circumstantiis, (v. g. quod seriò ac reverenter pronuntientur à Sacerdote vestibus sacris induto, &c.) sufficienter determinantur ut censeantur proferri in personâ Christi, & determinatè ejus corpus significare, & efficere.

Coll. nec particulam *enim*, neque hæc verba: *quod pro vobis tradetur, &c.* esse de necessitate Sacramenti, quia licèt apud Lucam & Apostolum, & in quibusdam Liturgiis postrema ista verba addantur post formam corporis, cùm tamen Ecclesia Rom. (quæ, ut ait Trid. sess. 7. can. 3. de Baptismo *omnium Ecclesiarum mater est, & magistra*) ea omittat, dicendum est non esse necessaria.

Q. 2. *Quæ precisè verba necessaria sint ad formam Calicis?*

Plures sunt hâc de re sententiæ.

Prima simpliciter asserit etiam hæc verba *novi & æterni testamenti &c.* esse de essentiâ hujus formæ. Herveus, Paludanus, Capreolus, & alii antiquiores Thomistæ, quibus valdè favet S. Thomas hîc art. 3. ubi absolutè dicit omnia verba usque ad ly *hoc quotiescumque feceritis &c.* esse de substantiâ formæ, & q 60. art. 8. dicit quòd si deficiat aliquid eorum, quæ pertinent ad substantiam Sacramenti, non confici Sacramentum

Secunda sententia docet illa verba *novi testamenti*, esse de essentiâ, non verò reliqua: Armacanus lib. 9. de quæstionibus Armenorum cap. 3. & 4.

Tertia, quam fusè tuetur Amicus post quosdam anonymos apud Suar. vult hæc esse essentialia: *qui pro vobis & pro multis, effundetur.*

Quarta, quæ est communior & verior, absolutè

negat quidquam illorum esse de essentiâ formæ. Magister, Alensis, Bonav. Durand. Major &c. item Suares, Vasq. Valentia, Coninck & plerique alii etiam Thomistæ, teste Soto in 4. dist. 11. q. 1. art. 2.

R. Ad consecrationem Calicis sufficiunt hæc præcisè verba: *Hic est Calix sanguinis mei*, vel *hic est sanguis meus*, aut alia iis æquivalentia. Ita Doctores jam citati pro quartâ sententiâ.

Prob. Quia Cyprianus, Iustinus, Ambrosius & alii Patres apud Suarem & Lugo pro formâ sufficienti solùm hæc verba adferunt: *hic est Sanguis meus*: alia verò sequentia apud nullum Evangelistam referuntur omnia, sed alia ab aliis omittuntur, nec habentur, saltèm omnia, in Liturgiis antiquorum, neque modernorum Græcorum. Arcud. l. 3. c. 26.

Confirm. quia ad consecrationem panis sufficiunt hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, ergo similiter ad consecrationem Calicis hæc sufficiunt: *Hic est Sanguis meus*: cùm hæc tam significent existentiam Sanguinis Christi sub speciebus, quàm illa existentiam corporis.

Ad Sanctum Thomam; quamvis Sotus aliique Thomistæ qui nobiscum sentiunt, conentur sic illum explicare, ut non sit nobis contrarius, fatendum tamen ejus verba esse difficilia; adeòque & mentem esse ut minimùm dubiam.

Q. 3. *Quæ immutatio formæ invalidet hoc Sacramentum?*

R, Præter illa quæ generaliter diximus de mutatione formæ Sacramentorum hîc dicendum;

1. Invalidari, si dicatur adverbialiter: *Hîc est Corpus meum*, vel *Hîc est Sanguis meus*: sic enim non significatur conversio panis aut vini,

2. Si dicatur *Hoc est Corpus Christi.*

3. Si dicatur *illud est Corpus meum*, quia ly *illud*

non demonstrat materiam ut præsentem.

4. Si omittatur ly *est.* dicendo *Hoc Corpus meum.*

5. Si dicatur *Hoc Corpus est meum*, quia transpositio illa mutat sensum; nisi fortè ita pronuntietur ut ly *Corpus* censeatur tenere se ex parte prædicati.

6. Ut minimùm est dubia forma, si dicatur *hæc est caro mea.*

7. Illicita quidem non tamē invalida esset forma, si omisso nomine Calicis diceretur simpliciter ut habetur apud Matth. & Marc. *Hic est Sanguis meus.*

Q. 4. *Quid demonstretur per pronomina* hoc *&* hic *in formis consecratoriis?*

R. Non demonstrantur propriè panis & vinum, quia sensus esset, quòd panis sit Corpus Christi &c. neque demonstrantur species in recto, & ut quod; sed solū in obliquo, & ut quo; quia falsum est species panis esse Corpus Christi &c. sed id quod propriè demonstratur est Corpus & sanguis Christi: non quidem ut præsens, dum incipit forma, seu præcisè dum fit demonstratio, sed in fine prolationis verborum; sicut sæpè fit in propositionibus practicis, in quibus copula de præsenti sumi debet moraliter, ita ut tantùm importet existentiam prædicati immediatè post prolationem verborum; ut si quis volens tibi donare librum dicat *hic est liber tuus.* Vel clariùs, si quis incipiens describere circulum dicat *hic est circulus*: in hoc enim postremo exemplo nondum est circulus, cùm incipit demonstratio.

Q. 5. *An pronomina* hoc *&* hic *sumantur substantivè an adjectivè?*

R. Probabiliùs sumi substantivè. Scotus, Suares & alii, favente S. Tho. hîc contra Vasq. Maldonat. Præpositum &c.

Prob. quia habent modum significandi substantivorum, cùm significent per modum categore-

matis, & per se sint subjectum propositionis.

Imitantur tamen adjectiva in eo quòd concordent in genere cum suo prædicato, velut cum suo substantivo.

Coll. Validam fore consecrationem Calicis, si dicatur *Hoc est Sanguis meus*, ut legitur apud Cyprianum Epist. 63. Et in quâdam Maronitarum Liturgiâ apud Lugo habetur: *Hoc caro mea est, hoc Sanguis meus est*. Retinenda tamen est praxis Ecclesiæ dicentis: *Hic est Calix Sanguinis mei &c.*

Q. 6. *An verba consecrationis dicantur à Sacerdote recitativè, an affirmativè?*

Tres sunt sententiæ.

Prima est, ea dici à Sacerdote solùm historicè, seu recitativè, id est simpliciter ea referendo ut à Christo olim prolata. Innoc. III. Durand. Major, quos sequiur Salmeron l. 9. tract. 13.

Secunda, solùm dici affirmativè, id est affirmando id quod verba significant. Vasques, Amicus.

Tertia, dici recitativè simul & affirmativè. S. Th. art. 5. Sotus, Suares, Coninck & alii communiùs.

R. Quamvis ad valorem Sacramenti sufficiat verba consecrationis proferre affirmativè, tamen juxta usum in Ecclesiâ receptum, proferuntur recitativè, & affirmativè simul.

Prob. quòd recitativè; ex contextu verborum Canonis, *qui pridie quàm pateretur &c.*

Quòd autē etiam affirmativè:

Prob. 1, ex Florentino & PP. docentibus Sacerdotem proferentem verba consecrationis, loqui in personâ Christi.

Prob. 2. Quia alioqui Sacerdos cum intentione consecrandi proferens præcisè verba formæ sine istis antecedentibus *qui pridie quàm pateretur &c.* non consecraret, quod licet concedat Salmeron, communiter tamen rejicitur.

CAPUT VII.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

Q. 1. *An Eucharistia conferat per accidens primam gratiam, seu remissionem peccati mortalis?*

Nota Sacramenta vivorum ea esse, quæ non sunt per se instituta ad remittendum peccatum, seu conferendam primam gratiam, sed eam præsupponunt in suscipiente, tamquam dispositionem ut dignè recipiantur. Talis est Eucharistia, & alia Sacramenta, præter Baptismum & pœnitentiam, quæ cùm è contrario instituta sint ad remittendum peccatum, quod in suscipiente præsupponunt, dicuntur Sacramenta mortuorum.

Quæritur si quis in mortali existēs, sed invincibiliter ignorans suū statum, aut nesciens statum gratiæ ad hoc Sacramentum prærequiri, aut putans se esse contritum, cùm non sit, inculpabiliter & bonâ fide accedat cum solâ attritione, an vi Sacramenti immediatè & sine aliâ dispositione consequatur gratiam?

R. affirm. S, Tho. art. 3. & clariùs de confirmatione q. 72. art. 7. ad 2. item Scotus, Paludanus, Richard. & alii communissimè apud Suarem contra Bonaventuram, Gabriel. & alios quos sequuntur Vasq. & Lugo.

Hæc opinio, quia id præcisè pendet à Christi voluntate de quâ non omninò constat, nititur præsertim authoritate longè pluriū DD. & maximè S Th. item PP. Cypriani, Chrysost. Damasc. & aliorum apud Suarem, affirmantium hoc Sacramento re-

mitti quælibet peccata, mundari & lavari animas, &c.quę cùm non possint intelligi de effectu,ad quē hoc Sacramentum per se institutum est, intelligenda sunt de remissione peccati per accidens ad sensum responsionis.

Q. 2. *Quandonam Eucharistia gratiam conferat communicanti ?*

R. Ex pluribus opinionibus quæ in re obscurâ & incertâ proferuntur, probabilior ea videtur, quæ tenet gratiam, saltèm principalem, simul instantaneè produci, eo præcisè instanti, quo primùm, suppositâ sufficienti dispositione, aliquid specierum est completè sumptum, id est, modo vitali trajectum in stomachum.

Prob. Quia tunc præcisè habetur comestio carnis, & bibitio sanguinis, cui promissa est gratia his verbis : *qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem &c.*

Nonnulli tamen ut Cajetanus, Suares, & alii plures putant gratiam successivè produci quamdiu durat sumptio, vel etiam quamdiu species sunt in stomacho. Quæ sententia multum facit ad excitandam pietatem fidelium,

Verùm probabilius est, reliquo tempore, quo Christus est in stomacho, accedente novâ devotione, non conferri gratiam ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis : alioqui enim sequeretur, quòd qui majorem hostiam sumeret, aut plus specierum vini, aut stomachum haberet debiliorem, majorem gratiam,cæteris paribus, acciperet ex opere operato.

Coll. per plures physicè sumptiones v. g per plures haustus specierum vini, vel sumptiones successivas plurium partium ejusdem hostiæ,non conferri nisi unum effectum gratiæ, si tantùm sit una sumptio totalis moraliter loquendo ; secùs si plures sint sumptiones non tantùm physicè, sed

etiam moraliter. v. g. dum Sacerdos sæpiùs in die celebrat.

Q. 3. *Quæ dispositio requiratur ad effectum hujus Sacramenti.*

Cajet. Sylvester. Durand. & alii nonnulli requirunt devotionem actualem, ex quo sequitur distractionem culpabilem, & quodlibet aliud peccatum veniale actuale, quod devotionem illam tollit, impedire effectum hujus Sacramenti, scilicet augmentum gratiæ. Contra quos

R. Ad effectum hujus Sacramenti requiritur, per se loquendo, & sufficit status gratiæ, & in adultis aliqua voluntas saltèm interpretativa suscipiendi Sacramentum. S. Tho. art. 8. etsi in 4. dist. 12. q. 2. art. 1. videatur sensisse contrarium. Item Suares, Layman, Amicus, Sylvius, & alii communiter.

Dixi *per se loquendo*, ob dicta paulò ante q. 1.

Prob. quia alioqui esset peccatum mortale admittere distractionem venialem tempore communionis, est enim mortale ponere obicem primario effectui Sacramenti.

Confirmatur, quia olim dabatur communio infantibus, & nunc subinde ægris lapsis in phrenesim, in quibus sæpe non est nisi habitualis, aut interpretativa voluntas communicandi.

Q. 4. *An justus communicans ex fine venialiter malo recipiat fructum?*

R. Id fieri posse dupliciter, 1. sic ut intentio finis venialiter mali v. g. vanæ gloriæ, simul habeat annexam intentionem honestam suscipiendi Eucharistiam per modum Sacramenti Eucharistiæ, & percipiendi ex eâ fructum spiritualem.

2. Sic ut communicans ex fine venialiter malo, nullo modo, ne quidem implicitè intendat aut acceptet communionem tamquam medium ad gra-

tiam percipiendam, aut alium finem supernaturalem. Primo modo percipitur fructus Sacramenti, non secundo.

Q. 5. *An hoc Sacramentum remittat culpam venialem, & pœnam temporalem?*

Dictum est supra Eucharistiam, ut Sacramentum est, subinde per accidens remittere culpam mortalem, & consequenter pœnam æternam isti culpæ debitam.

Quæritur hîc an per se remittat tum culpā venialem, tum pœnam temporalem?

R. 1. Eucharistia ut Sacramentum est, remittit aliquas veniales culpas, idque ex opere operato, & per se immediatè.

Prob. prima pars ex Trid. sess. 13. c. 2. *sumi autem voluit* (nempe Christus) *Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum* &c. *& tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.*

Prob. 2. prima pars 1: quia generaliter omnis effectus qui simpliciter & absolutè tribuitur Sacramentis, procedit ab illis ex opere operato.

Prob. 2. Ex S. Tho. q. 87. art. 2. ubi dicit, *quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur*, atqui secundùm illum Eucharistiâ est causa gratiæ immediatè & ex opere operato, ergo &c.

R. 2. Eucharistia ut Sacramentum est, non remittit directè pœnam temporalem, cùm sit instituta ad nutriendum spiritualiter, non ad satisfaciendum. Remittit tamen indirectè, in quantum & gratiæ augmentum, & fervorem charitatis causat. Item in quantum remittit veniale; nam quoties remittitur culpa, etiam remittitur pars pœnæ, quia, inquit Lugo de pœnitentiâ disp. 25. num. 14. congruum videtur ut ille minùs puniatur, cui Deus culpam remisit.

Q. 6. *An Communio facta pro aliis, v. g. pro animabus purgatorii, vel etiam viatoribus, iis prosit?*

R. Prodesse, sed non ex opere operato. Est communis. Potest autem prodesse ex opere operantis;

1. per modum suffragii, applicando aliis sub Dei beneplacito, satisfactionem sibi ex communione competentem.

2. Per modum meriti & impetrationis in quantùm Communio tum secundùm se, tum etiam quatenus fit & offertur pro aliis, est opus bonum, adeóque meritorium & satisfactorium.

3. Quia adjunctos habet varios actus bonos & meritorios, impetratorios ac satisfactorios. Et proinde etiam Communio pro aliis facta, dici debet comprehendi sub operibus pietatis, & suffragiis quibus juvantur animæ purgatorii.

CAPUT VIII.

De sumptione Eucharistiæ seu Communione.

Q. 1. *An, & quo jure teneatur peccator Communioni præmittere confessionem?*

R. 1. per se loquendo tenetur sub mortali, nec sufficit elicere actum contritionis. Est communis & certa ex Trid. sess. 13. c. 7. & can. 11.

Extenditur etiam responsio ad illum qui conscius est peccati mortalis quod scit se, sive ex oblivione, sive aliter nondum subjecisse Clavibus, etiamsi per confessionem aliorum peccatorum fuerit ab eo indirectè absolutus. Vide Suar. disp. 66. sect. 4.

R. 2. Hæc obligatio non est juris naturalis, cum ex rei naturâ sufficiat contritio ad tollendam indignitatem, sed juris positivi & divini, ab Apostolis per traditionem accepti.

Colligitur ex Trid. sess. 13. c. 7. dicente Ecclesiasticam consuetudinem declarare illud Pauli: *probet autem seipsum homo &c.* sic intelligendum ut conscius peccati mortalis non audeat accedere non præmissâ confessione, quantumvis sibi contritus videatur.

Communior autem sententia tenet præceptum istud esse ab ipso Christo, dici autem subindè apostolicum, quia ab Apostolis, & nominatim à Paulo fuit promulgatum.

Dixi supra *Per se loquendo* quia per accidẽs interdũ licet cõmunicare, non præmissâ confessione, nempè quando ex unâ parte deest copia Confessarii, & aliundè est necessitas communicandi. Quo tamen casu conscius peccati tenetur præmittere actum contritionis quantum est de se, quo se constituat in statu gratiæ. Quòd si paulò antè cõmunionem deprehendat se esse in mortali, nec tempus suppetat illi ad eliciendum actum contritionis, nec possit sine scandalo omittere communionem, potest, quando fecit quod in se est, sine scrupulo communicare & postea confiteri.

Q. 2. *Quandonam censeatur deesse copia Confessarii?*

R. 1. Quando nullus adest approbatus, vel habens jurisdictionem in pœnitentem, nec spectatis omnibus v. g. pœnitentis imbecillitate, itineris difficultate, loci distantiâ, temporis angustiis &c. alius adiri, vel advocari potest.

2. si adsit quidem, sed pœnitens non possit ei confiteri sine gravi incommodo, non intrinseco confessioni, ut si qui adest, non intelligat linguam pœnitentis; si pœnitens prudenter timeat nè

Confessarius secretum non servet, sollicitet ad peccatum, & similia, de quibus iterum in tractatu de Pœnitentiâ.

Q. 3. *Quæ censeatur sufficiens necessitas ad communicandum sine Confessione?*

R. Generaliter quotiescumque communio, aut celebratio missæ omitti non potest sine notâ infamiæ, aut aliquo gravi incommodo, ut si Sacerdos hîc & nunc obligatus ad celebrandum, non habeat alium quem substituat.

Si periculum sit ne Sacra Hostia prophanetur, nisi statim assumatur, ut in subitâ irruptione infidelium &c.

Q. 4. *Quid facere debeat Sacerdos si inchoato Sacro recordetur peccati mortalis? Item Laïcus jam existens in scamno communicantium.*

R. Ad primum si recordetur post consecrationem, non tenetur confiteri, etiamsi sine notâ id posset, sed tantùm conteri, quod Tannerus, Henriques, & alii post Navarrum putant etiam locum habere inchoatâ oblatione, imò & post introitum; quamvis Suares & alii communiùs quoad hoc dissentiant.

Hoc constare videtur non excusari Sacerdotem, si in Sacro solemni alter Sacerdos cui confiteri possit, fungatur officio Diaconi, tunc enim sine notâ velut aliud dicendo, confiteri potest dum canitur musicè.

R. Ad secundũ: Talẽ eo casu non teneri discedere & iterum adire confessarium, quia id per se loquendo fieri non potest sine notâ. Navar. Sylvest. Filiuc. &c.

Q. 5. *Quandonam teneatur confiteri is, qui conscius peccati mortalis communicavit?*

R. Ex Trid. sess. 13. c. 7. Sacerdos qui urgente necessitate conscius peccati mortalis celebravit absque prævià confessione, tenetur confiteri quamprimùm.

Nota ab Alexandro VII. damnatam esse hanc propositionem : *mandatum Trid. factum Sacerdoti sacrificanti in necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm , est consilium , non præceptum*

Porrò ly *quàmprimùm* non est ita rigorosè accipiendum , ut Sacerdos statim absoluto Sacro teneatur quærere Confessarium , sed moraliter, attentis circumstantiis. Diana. p. 2. de celebratione missarum ref. 60. dicit sufficere si fiat intra triduum, etiam respectu ejus, qui statim habet copiam Confessarii.

Quod autem aliqui addunt nempè probabiliter sufficere si confessio fiat antè proximam celebrationem , passim ab aliis reiicitur , præsertim si proxima celebratio diù differatur , quia alioqui Trid. nihil novi præciperet.

Hinc ab Alexandro 7. damnata est hæc propositio inter 45. damnatas. 39. *illa particula quàmprimùm intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

Q. 6. *An & quando peccatori sit neganda communio?*

R. 1. Peccatori publico neganda est , sive illam petat publicè, sive occultè; tamdiù publicè autē neganda est, quamdiù non constat etiam publicè de ejus pœnitentiâ.

Privatim tamen concedi potest post pœnitentiam etiam occultè factam , si absit periculum evulgationis antè publicatam pœnitentiam.

Dicitur autem publicus peccator , cujus crimen est notorium , sive notorietate facti, ut homicidium publicè perpetratum , status publici usurarii &c. sive notorietate juris , quæ habetur per sententiam , confessionem judiciariam &c.

Addunt communiter DD. communem famam, vel vehementem suspicionem, donec sic infamatus , aut suspectus legitimè se purgaverit.

R. 2. Peccatori occulto publicè petenti, negari

non potest : cum enim non sit publicè infamatus retinet jus ad famam. cap. *placuit* 6. quæst. 2. & patet exemplo Christi, qui Iudam non repulit à Communione.

Nec admittendum quod aliqui dixerunt ad consulendum reverentiæ Sacramenti, & simul famæ peccatoris, licitum esse huic dare hostiam non consecratam; gravius enim est hostiam prophanam exponere adorandam, quàm Eucharistiam indigno tradere ad salvandam ejus famam.

R 3 Peccatori occulto occultè petenti negari debet, quia tunc cessat periculum infamationis. Ad hoc autem requiritur & sufficit notitia indignitatis certa moraliter, undecumque illa habeatur; modò non ex confessione Sscramentali, vide dicta supra tractatu de Sacramentis in genere cap. 2. q. 8.

Q. 7. *An pollutio, actus conjugalis, aliavè corporis fœditates impediant Communionem?*

R. 1. Pollutio nocturna, vel etiam diurna, quæ vel sine peccato, vel tantùm ex veniali accidit, non impedit absolutè communionem, sed tantùm congruentiâ aliquâ, partim ratione ipsius fæditatis corporalis, partim ratione evagationis mentis quæ sequi solet pollutionem nocturnam, præcipuè quando cum turpi cogitatione contingit.

Hæc tamen congruentia postponenda est necessitati, aut rationabili causæ communicandi; ut si quis ex officio, vel regulâ, aut consuetudinis communitatis certo die celebrare aut communicare debeat, si sit dies solemnis, si lucrandæ notabiles indulgentiæ &c. Ita ferè S. Tho. art. 7. & alii communiter.

Idem dicendum de actu conjugali citra culpam exercito. Unde S. Tho. ad 2. dicit PP. subinde rigidiùs hâc de re loquentes, esse benignè interpretandos, & intelligendos secundùm congruita-

tem, non secundùm necessitatem. Idem etiam dicendum de fluxu menstrui, aut puerperii.

Ex quibus sequitur 1. conjugem non debere negare debitum conjugale prætextu communionis eo die faciendæ, præsertim si periculum sit imminutionis affectûs conjugalis, vel pollutionis in comparte.

2. Puerperam tempore purgationis periculosè ægrotantem Viatico muniendam esse.

R. 2 pollutio mortaliter peccaminosa (& idem est de fornicatione & quolibet alio peccato carnali) si per confessionem deleta sit, non impedit absolutè communionem eodem die. Est communis contrà Covarruviam.

Deducitur ex Trid. sess. 13. c. 7. ubi nulla agnoscitur indignitas, nisi conscientia peccati mortalis.

Cæterùm gravior causa requiritur ut quis paulò post peccatum mortale communicet, quàm post pollutionem involuntariam, & seclusâ aliquali necessitate, præstat eo die non communicare.

R. 3. Aliæ corporis fœditates, ut lepra, scabies, &c. absolutè non impediunt communionem; quando tamen est quid transiens, nec urget communicandi necessitas, præstat eam differre ex honestate.

Notandum hìc, nomine fœditatis non intelligi illotionem faciei, oris & manuum; ac proindè si quis oblitus sit os, vel manus lavare non ideò debet esse à communione, aut templo exire ut se lavet.

R. 4. Est mortale exponere se voluntariè periculo evomendi species, adeòq; tunc abstinendũ à communione, etiam in articulo mortis.

Hinc rectè monent Theologi non esse consultum immediatè post communionem spuere, ne fortè aliquid specierum cum sputo emittatur, in quo tamen non oportet esse nimis scrupulosum.

cum id liceat, quando species sunt in stomachum transmissæ, præsertim si phlegmata non è pectore educantur, sed è cerebro deriventur.

Q. 8. *Quale jejunium requiratur ad communionem?*

R. Non sufficere jejunium ecclesiasticum, quod stat cum sumptione medicinæ, potûs, & cibi in modicâ quantitate, sed requiri jejunium naturale, id est tale, ut à mediâ nocte præcedente nihil omninò sumatur per modum cibi ut potus sive usualis, sive medicinalis.

Dicitur 1. *à mediâ nocte*, quæ computanda est ab ipso initio præludii horæ 12. aut à primo horæ pulsu, si non sit præludium. Si sint plura horologia, licet illud sequi quod commodius fuerit, nisi probabilius sit illud aberrare. Circa hæc.

Nota 1. Nihil interesse an inter cibum præcedenti die sumptum, & communionem intercesserit somnus, an non, nec quantum intercesserit temporis.

Hinc si quis nocte Nativitatis Dominicæ, paulò ante duodecimam comederit, neque somnus intercesserit, potest nihilominùs statim post duodecimam communicare, quamvis id esset contra decentiam.

Nota 2. Qui dubitat an dum comedit esset duodecima, probabiliter potest communicare, item qui dubitat an post duodecimam aliquid trajecerit Layman. Diana. part. 3. de Sacramentis, res. 29. & alii contra varios.

Hinc si quis decumbens aliquid sacchari, vel quid simile, quod sensim liquescit, in os immiserit, & post somnum nesciat, an aliquid pòst duodecimam transjecerit, probabile est posse communicare, Secùs si moraliter certus sit trajectum esse aliquid post duodecimā, nam ea ex communi (contra Bauny P. 1. tract. 10. q. 22. de presbiteris, favente Amico) solvunt jejunium naturale,

Dicitur 2. *Nihil omninò sumatur:* quia quătulacũque quantitas sumpta per modum cibi vel potûs sufficit ad solvendum jejunium naturale.

Dicitur 3. *Per modum cibi aut potûs* &c. id est ab extrinseco immittendo in os, & trajiciendo in stomachum per actionem vitalem comedendi vel bibendi; quod, ut patet, etiam competit sumptioni medicinæ.

Coll. non solvi jejunium naturale in sequentibus: 1. quidquid in os sumatur, si non deglutiatur: ut si Sacerdos vinum in os sumat ut probet an sit sufficiens ad consecrandum; si coquus digitum jusculo intinctum imò, etiam aliquid jusculi in os immittat, ut probet an sapiat, modò illa statim expuantur: quod etiam verum est licèt aliquid permixtum salivæ ab eâ discerni non possit, & per modum salivæ trajiciatur.

2. Quando aliquid deglutitur non sumptum ab extrinseco, sed proveniens ab intrinseco, ut pituita vel sanguis è capite defluens &c. his accenseri solent reliquiæ ciborum dentibus adhærentes, quæ si inadvertenter traiiciantur, non solvunt jejunium. Quia tamen S. Tho. & alii multi putant has solvere jejunium naturale, quando advertenter deglutiuntur, tutius est eas expuere cum potest, sed sine anxietate.

3. Si quid extrinsecùs quidem, non tamen per os sed per nares attrahatur ac trajiciatur in stomachum. Fagundes, Diana &c.

4. Si quid sumatur per modum respirationis, ut si contingat respirando muscam, aut simile quid cum aëre attractum deglutiri.

De his quæ naturâ suâ non sunt cibus usualis aut medicinalis, ut sunt charta, frustulum ligni, rasura unguium, globulus plumbeus, nummus aureus &c. variant sententiæ. Plures cum S. Thomâ tenent solvere jejunium naturale si advertenter

deglutiantur, ut qui nummum deglutiret ad illum tuto occultandum. Alii negant, Lugo, Diana &c, saltem quando talia casu degluriuntur.

De sumptione tabaci hæc sunt probabilia :

1. Tabacum sumptum per nares non solvere jejunium, etiamsi aliquid traiiciatur in stomachum.

2. Neque sumptum per os in fumo, ut volunt aliqui, quod tamen Præpositus aliique volunt solvere jejunium, si fumus in stomachum descendat. Hoc certum magnam committi indecentiam, seclusâ necessitate, sic communicare.

3. Nec sumptionem foliorum in os ordinariè solvere jejunium, quia ordinariè nihil descendit in stomachum, vel certè quid modicum per modum respirationis aut salivæ, non per modum cibi.

Q. 9. *Quandonam liceat communicare soluto jejunio?*

R. Communiter assignari quinque casus, quibus id licet.

Primus est quãdo instante periculo mortis, sive ex morbo, sive ex Iudicis sententiâ dandum est alicui Viaticum, nec commodè potest expectari tempus quo moribundus sit jejunus, in quo non est movendus scrupulus, nec ideò ulla ægro incommoditas adferenda, aut intempestâ nocte vel tempore importuno advocandus Sacerdos.

Hâc occasione quæritur an possit æger pluries intra eundem morbum communicare non jejunus?

Affirm. Suar. disp. 68. sect. 5. & alii communiùs contra Vasq Præpos & alios.

Prob. tum ex concilio Constantiensi sess. 13. ubi illimitatè permittitur ut sumatur Communio à non jejunis in casu infirmitatis, tum maximè ex usu jam ubique recepto.

Notandum tamen id non licere, nisi perseve-

rante periculo, nec nisi interjecto octo v. g. vel sex dierum spatio.

Quamquam aliqui putent ex justâ causâ, v. g. ob magnam ægri consolationem & devotionem, id fieri posse, etiam sequenti die, non tamen quotidie in morbo diuturniori, quamvis quotidiè mortem minante v. Layman.

Secundus casus est si nemo adsit jejunus, & statim sumẽda sit Hostia ad vitãdã Sacramẽti prophanationẽ aut gravem irreverentiam, v. g. si periculum sit ne Hostiæ consecratæ veniant in manus irruentium Infidelium.

Tertius casus si aliàs periculũ sit gravis scandali vel infamiæ notabilis. Hinc si Sacerdos inchoato jã Sacro recordetur se non esse jejunum, potest prosequi etsi nondum ad consecrationem pervenerit. Idem dicendum de Laïco qui ad scamnum communicantium accessit, si inde absque gravi notâ non possit recedere.

Quartus casus si necesse sit ad perficiẽdũ Sacrificiũ sive alienum, ut cũ celebrans deficit post consecrationem, nec invenitur Sacerdos jejunus qui perficiat: sive proprium, ut cum Sacerdos sumendo calicem, advertit non fuisse vinum, sed aquam, quo casu non debet id quod jam sumpsit in os expuere, vel in calicem reiicere, ut aliqui volunt, sed illud deglutire, & vinum calici impositum de novo consecrare & postea sumere, licet non jejunus.

Quintus casus si Sacerdos post sumptã ablutionẽ reperiat supra Patenã vel Corporale aliquas particulas, sive de majori Hostiâ sive de minoribus populo distributis, si illæ fuerint ab ipso Sacerdote in eodẽ Sacrificio consecratæ, quod etiã verũ est de integris Hostiis quæ non possint cõmodè reservari.

Dixi *si fuerint ab ipso Sacerdote &c.* quia si fuerint ab alio, vel ab ipso quidem, sed in alio Sacro

consecratæ, non potest eas Sacerdos consumere post ablutionem, cum sumptio illa censeri non possit pertinere ad idem Sacrificium, sed relinqui debent consumendæ ab alio Sacerdote ante ablutionem, nisi in casu quo commode servari non possint. Henriq. l. 8. c. 50. n. 2.

Nota ex Coninck q. 80. n. 70. Sacerdotem purificantem Ciborium in alio sacro consecratum, postquam majores particulas in eo Ciborio relictas consumpsit, vel in species vini consecrati infudit, atque ita sumpsit, posse infundere vinum in Ciborium, & minutas particulas adhuc Ciborio adhærentes sumere simul cum vino.

CAPUT IX.

De Præcepto Communionis.

Duplex est præceptum communionis, unum divinum quo tenentur adulti aliquando communicare Joan. 6. *nisi manducaveritis* &c. alterum Ecclesiasticum quo quilibet baptizatus qui, ad annos discretionis pervenit tenetur communicare quotannis saltem semel idque in Paschate.

Q. 1. *Quandonam obligat præceptum divinum Communionis?*

R. Obligare aliquoties in vitâ, ita ut secluso præcepto Communionis Paschalis, adhuc peccaret mortaliter qui pluribus v. g. quatuor aut quinque annis non communicaret.

Obligat præterea in articulo mortis, etiam per se, id est, quamvis moribundus aliàs in vitâ & eo

eo anno communicaverit. Lugo & alii communiùs, contra quosdam, qui volunt solùm esse præceptum Ecclesiasticum: & alios apud Vasq. negantes ullum esse præceptum communicandi in articulo mortis.

Prob. quia ut habetur ex CC. & PP. Christus hoc Sacramentum instituit, ut etiam haberet rationem Viatici.

Quòd si tamen æger paucis ante diebus v. g. tribus aut quatuor, vel etiam septem vel octo communicârit, probabile est non teneri ampliùs communicare, etiam si hoc Sacramentum non sumpserit formaliter per modum Viatici. Suar Hentiq. Bonac. Wighers &c contra Vasq. & alios quorum sentẽtia in praxi suadenda est, saltem ob summam Eucharistiæ in mortis articulo utilitatem.

Nota per articulum mortis hic intelligi quodcumque mortis confinium: unde non solùm ab ægris, sed etiam ab aliis ex quâcumque causâ morti proximis, sumendum est Viaticum.

Nec debent, aut possunt Iudices per se loquendo damnatis ad mortem illud denegare: & qui aliquando fuit abusus in contrarium, jussu Pii V. sublatus est, ut testatur Suar. disp. 69. sect. 3. in fine.

Huc etiam revocantur qui manifestum adeunt mortis periculum, ut qui conflictum, aut etiam navigationem, vel peregrinationem valde periculosam suscipiunt.

Item mulieres instante puerperio, præsertim difficili:

Item qui incisionem aut curationem periculosam subeunt &c.

Q. 2. *Quinam obligentur præcepto Ecclesiastico Communionis Paschalis?*

R. Quilibet baptizatus, qui ad annos discretio-

nis pervenit, nisi fortè de proprii Sacerdotis consensu ob rationabilem causam esset abstinendum. cap. *utriusque sexûs* de pœnitentiis &c. vide Trid. sess. 13. can. 9. Porrò ex usu Ecclesiæ non censetur puer habere annos discretionis in ordine ad Communionem, nisi intra annum decimum & decimum quartum, prout est indolis minùs vel magis maturæ. Ita ut hoc præceptum regulariter nullum obliget ante annum decimum, omnes verò post decimum quartum; itaque per annos discretionis hîc non intelliguntur ii, qui rationis usum attigerunt, sicut pro confessione, cujus ratio est quòd non sit tanta Eucharistiæ necessitas, quanta Confessionis, & major reverentia & discretio requiratur pro Communione, quàm pro Confessione.

Q. 3. *An Communio Paschalis facienda sit in propriâ Parochiâ?*

R. Affir. neque satis est eo tempore communicasse apud privilegiatos (quamvis sufficiat apud illos fuisse confessum) nisi de licentiâ proprii Sacerdotis.

Excipiuntur 1. Sacerdotes qui satisfaciunt ubicumque celebrent.

2. Religiosi, & eorum familiares, id est qui sunt de eorum familiâ, ut famuli & commensales.

3. Peregrini: Item advenæ, qui non habent animum habitandi in eo loco per majorem anni partem. Item vagi qui nullibi habent fixum domicilium.

Q. 4. *Quo tempore facienda sit Communio Paschalis?*

R. De jure communi facienda est à Dominicâ palmarum, usque ad Dominicam in albis inclusivè. Variis tamen in locis, sive ex consuetudine, sive ex privilegio, conceditur plus temporis, ut sæpè conceditur militibus, ut id possint à primo die Quadragesimæ.

Nota eum qui culpabiliter, vel inculpabiliter huic præcepto non satisfecit intra tempus præfixum, eo finito non esse liberum ab ejus obligatione, ut volunt Antonin. Sylvest. & alii apud Suar. cum enim præceptum Ecclesiæ duas habeat partes, primam & præcipuam communicandi semel in anno, alteram, communicandi in Paschate, posterior quidem cessat obligatio finito Paschate, non tamen prior quæ non est annexa tempori Paschali.

Nec refert, quòd qui hodie non satisfecit præcepto legendi Horas, aut jejunandi, non teneatur sequenti die ad jejunium, aut ad illas Horas, quia illa præcepta affixa sunt tali determinatè diei.

An autem qui tempore Paschali Communionem omisit, ad illam teneatur statim primâ opportunitate, ita ut semper de novo peccet, quoties datâ opportunitate, illam differt, controvertitur: negant Lugo, Mœrac. &c. probabiliter affirmant Suar. Vasq. Præpos. Sylvius, Wighers & alii communiùs.

Q. 5. *An satisfiat precepto Communionis Paschalis per Communionem sacrilegam* ?

R. Negativè, & contrarium modò tenere non licet, ex quo Innoc. XI. hanc propositionem damnavit inter 65. 55. *precepto Communionis annua satisfit, per sacrilegam Domini manducationem.* Et verò capite *omnis utriusque sexûs*, præcipitur ut fiat Communio annua *reverenter.*

Circa administrationem hujus Sacramenti servanda sunt sequentia.

1. Dispensatio Eucharistiæ ad solum Sacerdotem pertinet, tamquam ad ministrum ordinarium, potest tamen Diaconus tamquam minister extraordinarius ex ejus commissione illam administrare, S. Tho.

verum hæc commiſſio, quæ jam non eſt ampliùs in uſu, dari vel acceptari non poteſt; ſine neceſſitate. Si tamen aliquis prævideretur, alioqui moriturus ſine Viatico, poſſet Diaconus ex tacitâ commiſſione illi adminiſtrare.

2. Cum adminiſtratio hujus Sacramenti ſit actus paſcendi, ad illam requiritur juris-dictio, vel ordinaria, qualem habent Epiſcopi & Parochi, vel delegata, ſive ex commiſſione Ordinarii, ſive ex privilegio Pontificis, qualem habent Religioſi in ſuis Templis, quam concedere etiam poſſunt ſimplici Sacerdoti non Religioſo.

3. Parochus ex officio tenetur hoc Sacramentum ſubditis præbere quoties illud rationabiliter petunt: ut autem Sacerdos non proprius Communionem dare poſſit, ſufficit tacita Licentia Parochi, vel etiam præſumpta ratio habitio.

4. Ex Clementinâ primâ *Religioſi*, de privilegiis eſt excommunicatio latæ ſententiæ Pontifici reſervata in Religioſos, qui clericis vel laïcis, Euchariſtiam, vel Extremam-Vnctionem miniſtrare, vel matrimonia ſolemnizare præſumpſerint, ſine ſpeciali licentiâ Parochi.

Circà quam obſervandum eſt.

1. Hanc legem non comprehendere Communionem datam alieno religioſo ſine ſui Superioris licentiâ, ſed datam laïcis, vel clericis Sæcularibus Silveſt. V. excommunicatio.

2. Si ex ignorantiâ hujus legis, vel ex præſumptâ Parochi licentiâ id fiat, non incurri excommunicationem: quia ly *præſumpſerit*, quo Pontifex utitur, ſupponit notitiam legis, & voluntatis contrariæ Parochi Vaſq. Diſp. 219. n. 33. cenſetur autem præſumpta licentia hoc ipſo, quo Parochus permittit, ut in ſuo templo celebres. Præpoſ. q. 82. n. 14. Item dum quis celebrat in ſacello, ad quod Peregrini conveniunt devotionis cauſâ.

3. Papa in suâ lege excipit religiosos habentes privilegium, ac proindè Religiosi, qui ex privilegio possunt ministrare omnibus Eucharistiam, excepto Viatico; & Communione Paschali, etiã possunt ministrare Eucharistiam infirmis per modum devotionis, non Viatici, dum in privatis eorum domibus celebrant. Vasq. n. 45. quia licet privilegium dicat tantùm eos posse ministrare Eucharistiam in suis Templis, per hoc tantùm excluduntur Templa Parochialia, non autem domus Privatorum in quibus ex privilegio celebratur.

4. Potest Religiosus etiam Viaticum & extremam-Unctionem invito Parocho ministrare ejus subditis, si ipse absit, vel nolit ministrare, Vasq. n. 31. & 43.

5. Debet celebrans sumere hostiam à se consecratam. Potest tamen, si desint minores Hostiæ, dare particulam hostiæ majoris Laïco communicare volenti, idque non solùm per modum Viatici, sed etiam probabiliter ex devotione. Angelus Verbo Missa n. 27. Diana &c.

Coll. meritò à Lugo improbari tamquã abusum, praxim quorumdam Parochorum, qui volentes majorem Hostiam Populo exponendam renovare, consumunt eam, quæ erat in Tabernaculo, jam diù ante à se vel ab alio consecratam; & ejus loco reponunt eam quam jam consecrarunt. Ratio petitur ex eo quod Ecclesia præcipiat, si post consecrationem totus calix effundatur, vel Hostia depræhendatur venenata, ut aliud vinum & Hostia consecrentur, quod fieri non deberet, si licita esset ista praxis; posset enim loco hostiæ venenatæ consumi alia ex tabernaculo: item accipi aliquid ex calice consecrato alterius Sacerdotis, vide illum disp. 19. n. 76.

CAPUT X.

De Missæ Sacrificio.

Q. 1. *Quid Sacrificium in genere?*

R. Sacrificium propriè dictum, est oblatio externa substantiæ sensibilis per ejus realem immutationem, facta Deo, in agnitionem ejus supremi dominii.

Igitur ad rationem sacrificii propriè dicti, requiruntur quatuor conditiones.

1. Ut sit *oblatio facta Deo.* Hinc dum dicitur fieri in honorem alicujus Sancti, fit nihilominùs soli Deo in gratiarum actionem, pro donis sancto isti collatis, ad obtinendam eâ ratione ejus intercessionem.

2. *Ut sit oblatio externa substantiæ sensibilis*, quia Sacrificium est actus externus religionis, qui versatur circa substantiam aliquam sensibilem, sive animatam, sive inanimatam, quæ appellatur hostia.

3. *Ut hostia realiter immutetur* v. g. per occisionem, combustionem, effusionem, divisionem &c. & per hoc differt sacrificium ab oblationibus simplicibus v. g. primogenitorum hominum, auri, & similium quæ Deo offerebantur sine illorum immutatione.

4. *Ut fiat in agnitionem supremi Dei dominii*; nam finis proprius & intrinsecus sacrificii est protestari, quòd Deus sit Dominus rerum omnium, vel ut volunt Vasq. Hurtado &c. quòd sit author vitę & mortis, sive esse & non esse rerum omnium, & quòd ut talis dignus sit, ut in honorem ejus consumatur, quidquid habemus & sumus.

Q. 2. *An sacrificium Missæ sit verum sacrificium?*

Negant Hæretici ullum esse novæ legis sacrificium, præter illud cruentum, quod Christus in cruce pro salute hominum obtulit: contra quos

R. Sacrificium Missæ esse verum, & propriè dictum novæ legis sacrificium. Est de fide ex Trid. Sess. 22. can. 1. de sacrificio Missæ.

Prob. ratione, quia cum sacrificium sit actus religionis perfectissimus, eo carere non debuit Ecclesia, quo carere non solent ipsæ gentes barbaræ.

Et verò Missæ conveniunt conditiones, quas requiri diximus ad verum sacrificium. Nam in eâ offertur Deo Corpus & Sanguis Christi, quæ sunt sufficienter sensibilia per species consecratas. Et vi verborum, ponitur solum Corpus sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini; ac proinde modo quodam mortuo, & vitæ Christi destructivo: & fit hæc oblatio in agnitionem supremi Dei dominii.

Itaque dum PP. subinde dicunt Christum in Missâ tantùm immolari mysticè, non excludunt veram oblationem, & propriè dictum sacrificium, sed solùm veram & realem occisionem, quæ non requiritur universaliter ad verum Sacrificium, sed sufficit si hostia immolata realiter immutetur, ut patet tum ex definitione Sacrificii, tum ex eo quòd in sacrificio libaminis, vinum & alia ejusmodi tantùm effundebantur in terram ad Dei honorem. Hîc autem Hostia vi consecrationis 1. immutatur, quia producitur sub speciebus, cùm antea non esset. 2. Mysticè mactatur, quia vi consecrationis formaliter ponitur Corpus separatim à Sanguine, & Sanguis separatim à Corpore.

Q. 3. *In quâ actione Missæ consistat ratio Sacrificii?*

R. Non consistit in oblatione panis & vini.

quæ fit ante consecrationem, ut vult Scotus, neque in oblatione Corporis & Sanguinis Christi, quæ fit statim post consecrationem, dum dicitur. *Vnde & nos memores &c.* ut nonnulli alii; quia nec oblationes istæ leguntur à Christo usurpatæ, nec per illas hostia immutatur &c.

Neque consistit in mixtione specierum, fractione &c. quia Christus non videtur talem fecisse mixtionem: fractionem autem videtur præcisè fecisse ad usum distributionis. Deinde in Rubricis præscribitur ut si casu hostia ante fractionem in Calicem incidat, simul cum sanguine sumatur: ex quo patet fractionem non esse de essentiâ hujus sacrificii.

Neque videtur consistere etiam partialiter (ut volunt Bellar. Henriquez, Amicus, Isambert. &c.) in communione Sacerdotis.

1. Quia potestas quam accipit Sacerdos, vi suæ ordinationis, non dirigitur ad sumptionem Eucharistiæ, sed ad illius consecrationem.

2. Quia Sacerdos dum sumit Eucharistiam id non facit Christi nomine, sed suo: neque per communionem aliquid Deo offert, sed accipit.

3. Certum est ex Tridentino Christum in Cœnâ sacrificasse, & tamen dubium est an communicarit

Consistit ergo essentia hujus sacrificii totaliter in consecratione, ita Theologi communiter cum S. Thom. pluribus locis & nominatim q. 79. art. 5. ubi dicit Eucharistiam habere rationem Sacrificii in quantum offertur, Sacramenti in quantum sumitur

Prob Quia in solâ consecratione inveniuntur omnia ad Sacramentum requisita supra. Ea enim prout à Christo instituta, dicit positionẽ Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus factam in honorẽ Dei, & protestationem dominii ejus in omnes crea-

turas: & hoc est realiter Corpus & Sanguinem Christi offerri Deo (nam oblatio quæ fit in Sacrificiis, non est aliud quàm immolatio facta in honorem Dei &c.) & quidem sensibiliter, & cum immutatione hostiæ, juxta dicta supra, & hic est sensus PP. Irenæi, Cyrilli, Gregorii, Ambrosii, & aliorum apud Vasq. & Lugo.

Q. 4. *Qui sint effectus hujus Sacrificii?*

Suppono sacrificium Missæ non solùm esse Latreuticum seu Honorarium quod fit in Dei honorem, & Eucharisticum, quod fit in gratiarum actionem, sed etiam impetratorium, quod fit ad aliquid impetrandum, & Propitiatorium, seu expiatorium, quod fit pro peccatis, & peccatorum pœnis avertendis. Trid. sess. 22. Can. 3. & 5. Hoc posito.

R. 1, Hoc sacrificium triplicem habet efficaciam.

1. Ex opere operantis, sicut alia quævis bona opera.

2. Ex opere operato ratione institutionis Christi, vi cujus nullâ indignitate, aut malitiâ offerentium inquinari potest.

3. Per modum impetrationis. 1. quidem & principaliter in personâ Christi. 2. & minùs principaliter in personâ totius Ecclesiæ, cujus legatum agit Sacerdos. Et hæc efficacia etiam est independens à meritis, vel bonitate Sacerdotis. An dici debeat ex opere operato, quæstio est de nomine.

R. 2, Confert ex opere operato, iis pro quibus offertur.

1. Remissionem pœnæ temporalis juxta mensuram à Christo determinatam.

2. Iisdem suo tempore confert gratias actuales excitantes ad contritionem, aliaque bona opera, quas quidem gratias confert infallibiliter, non tamen infallibiliter efficaces.

R. 3. Non causat per se immediatè remissionem ullius peccati quoad culpam, nec primam gratiam habitualem, aut ejus augmentum, sed tantùm mediatè, in quantum intuitu ejus conferuntur gratiæ actuales, per quas homo excitatur, & perducitur ad pœnitentiam, & alios actus bonos. Ratio est quod immediatè sanctificare, sit proprium Sacramentorum.

R. 4. Per modum impetrationis conferre potest quidquid honestè à Deo peti potest; non tamen id præstat infallibiliter, sed juxta dispositionem Divinæ Providentiæ.

Q. 5. *Pro quibus offerri possit hoc Sacrificium?*

R. Offerri potest 1. pro baptizatis omnibus tam parvulis, quàm adultis; etiam excommunicatis: si tamen tolerati non sint, quamvis validè, non tamen licitè pro illis offerri potest.

2 Pro catechumenis & infidelibus: quia etsi non sint capaces fructûs ex opere operato, potest tamen illis prodesse per modum impetrationis, nec Ecclesia prohibet pro illis fieri preces. Lugo, Sylvius &c.

3. Pro defunctis existentibus in Purgatorio, quibus prodest ad remissionem pœnæ, tum ex opere operato, tum per modum impetrationis. Non potest offerri pro Beatis; nisi in quantum est Eucharisticum pro collatis in ipsos gratiis.

Q. 6. *Quæ conditiones requirantur ut Missa prosit iis pro quibus offertur?*

R. 1. Ex parte offerentis requiritur intentio quâ vel ante, vel in ipsâ consecratione fructum applicet ei, cui vult prodesse. Intentio autem illa debet esse efficax hîc & nunc; nec videtur sufficere conditionata de futuro contingenti, quia non est magis in potestate Sacerdotis suspendere effectum Sacrificii, quàm Sacramenti.

Sufficit tamen probabiliter habitualis non re-

tractata, item probabiliter implicita seu interpretativa, qualem censetur habere Sacerdos, ut sibi vel aliis, quibus specialiter est obstrictus, applicetur fructus, quando vel per oblivionem nulli applicuit; vel is cui applicuit est incapax, vel non indiget: quia tamen hoc incertum est, expedit id expressè intendere.

R. 2. Ex parte ejus pro quo offertur, nulla est simpliciter necessaria dispositio in ordine ad impetrationem gratiarum, quamvis status gratiæ multùm conferat, & probabiliter crescat fructus pro ratione devotionis. Requiritur tamen ad obtinendam remissionem pœnæ ex opere operato, ut peccata, quorum pœna remittitur, sint ante remissa quoad culpam, & ipse sit in statu gratiæ.

Nota probabiliter ipsi Sacerdoti provenire aliquos fructus ex opere operato præcisè ex eo quod sit offerens, quamvis alteri sacrificium applicet. Vide Coninck.

Q. 7. *An malus Sacerdos Eucharistiam consecrare, possit?*

R Posse validè non licitè; immò hæretici, Schismatici, excommunicati, atque etiam degratati possunt validè consecrare, sed illicitè; quia nempe consecratio est actus ordinis, non jurisdictionis: non potest autem Sacerdoti tolli character ordinis, sed tantùm jurisdictio. S. Th. q. 82. art. 5 & seqq.

Q. 8. *An Missa mali Sacerdotis tantum valeat, quantum Missa boni?*

R. Tantum valere respectu fructuum, qui proveniunt ex opere operato, & vi impetrationis in personâ Christi & Ecclesiæ, cum illi per se loquendo non pendeant à probitate ministri; nihilominùs cæteris paribus utilior est, & magis optanda Missa boni, tum ratione fructûs ex opere operantis, quamvis sit ille exiguus respectu aliorum

fructuum, tum quia personæ sanctitas multum conferre potest ad impetrandum.

Q. 9. *An Missæ Sacrificium oblatum pro pluribus, tam sit utile singulis, quàm si pro uno solo offeratur?*

Suppono hoc Sacrificium ex parte Christi esse infiniti valoris, saltèm in actu primo remoto, in quantum non tantùm est actio Sacerdotis, sed etiam ipsius Christi ut Ministri principalis, cujus actiones omnes sunt valoris infiniti; esse etiã probabiliter in actu 2. valoris intensivè infiniti, hoc sensu quòd sine termino majorem semper & majorem producat effectum pro majori & majori dispositione ejus, pro quo offertur; quamvis ex determinatione & applicatione Christi sit determinati & finiti valoris respectu cujusque hominis in particulari, cui applicatur, cum nulli umquam cõferatur effectus infinitus. De his non est controversia.

Sed maximè controvertitur an sit valoris in actu 2. extensivè infiniti, hoc sensu quòd pro multis oblatum, tàm utile sit singulis, ac si pro uno solo offerretur.


R. Negativè. Suar. Coninck. Lugo & alii communius contrà Cajet. tom. 2. opusculorum tract. 3. q. 2. ubi in fine dicit posse unico sacrificio satisfieri pro 30. Missis, quas vocant *Sancti Gregorii*, si ij, pro quibus offertur, & qui simul cum Sacerdote offerunt, habeant tantam devotionem in uno Sacro, quantam in 30. item contra Sylvest. Sotum, Vasq. &c.

Prob. Quia etsi Christus potuerit hoc Sacrificium instituere eo modo, quem intendunt adversarii, probabilius tamen est sic illud instituisse, ut uni sacrificio respondeat absolutè certus ac determinatus fructus (excepto incremento respondente devotioni subjectorum) qui quanto in plures divideretur, tanto quisque minus reciperet.

Confirm. Quia malè, & contra charitatem restringerent Sacerdotes intentionem suam ad unum vel paucos: Item alii malè procurarent sacra fieri pro se in particulari, quando quidem hâc ratione sine ullo suo emolumento alios privarent fructu sacrificii. Item non esset ratio cur Sacerdos unico Sacro non posset satisfacere pro 5. 10. 20, stipendiis, quæ à diversis accepisset, quod infra dicemus esse illicitum.

Dices: Hinc videtur sequi utilius esse audire Sacrum, cui pauciores intersunt, quàm cui plures, cum Sacerdos offerat pro omnibus circumstantibus.

R. Negand. seq. tum quia Sacerdos ibi non applicat circumstātibus fructum ex opere operato, de quo hic loquimur, & qui solùm applicatur ei pro quo specialiter fit Sacrum, sed solùm fructū impetrationis in personâ Christi, qui non videtur ad certā mensuram determinatus & consequenter per hoc quod plures eidem sacro intersint, non recipiunt singuli minorē fructum. Tum quia assistentes simul cum Sacerdote sacrificium offerunt, & illis ut talibus respondet aliquis fructus ex opere operato extensivè illimitatus, seu independens à numero offerentium, ac proindè etiam ex hoc capite, dum plures eandem missam audiunt, non minùs accipiunt singuli, quàm si pauci audiant. Sicut dum plures communicant, & eundem Christum accipiūt non minus gratiæ accipiunt singuli, quàm si unicus communicaret.



CAPUT XI.

De Stipendio Celebrantium.

Q. 1. *An possit quilibet Sacerdos, etiam dives, vel beneficiatus, accipere stipendium pro Missâ & quantum?*

R. Posse, non tamen per modum venditionis, quod esset simoniacum, sed per modum sustentationis. Est communis. Et ratio est, quia æquum est, ut qui ministrat altari, de altari vivat. conformiter 1. Cor. 9.

Censetur autem justum stipendium quod lege, aut consuetudine taxatum est, vel ubi nulla est taxatio, quod prudenti judicio sufficit ad mediam vel tertiam partē honestæ sustentationis unius diei.

Suar. Layman. & alii, Cajet. Sotus. &c. putant accipi posse quod requiritur ad integrum frugalem victum diurnum. Quod autem dicunt Navar. l. 2. de restitut. c. 2. num, 325. Henriquez l. 9. c. 22. num. 1. posse accipi quod requiritur ad victum, vestitum, habitationem, nimis laxum est, potest tamen plus justo stipendio liberaliter oblatum accipi.

Q. 2. *An liceat pro unâ Missâ accipere plura justa stipendia, aut pluribus acceptis, per unam Missam satisfacere.*

R. Negativè Patet ex quæst. præcedenti, & ex decreto Alexand. VII. in quo inter alias damnatur hæc propositio: *non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre &c.*

Et hoc etiam verum est in sententiâ eorum, qui tenent fructum pluribus applicatum non minui singulis : cum enim id saltem incertum sit, meritò intendunt, qui dant stipendium, sibi totum fructum applicari, & tot fieri sacrificia, quot dant stipendia.

Neque si Sacerdoti dentur stipendia diversa singula justo minora, potest is illa ad justum pretium reducere & per pauciora sacra satisfacere, quia eo ipso quo acceptat stipendium, censendus est juri suo renuntiare, & reliquum condonare.

Quòd si tantus sit numerus Missarũ in aliquâ Ecclesiâ constitutus ut exsolvi non possint; vel si stipendium olim justum successu temporis valore pecuniæ imminuto, redditum sit nimis exiguum, recurrendum est ad Sedem Apostolicam pro Missarum reductionibus, seu moderationibus : si aliter fiant, nullæ sunt ; ita constituit Urbanus VIII. per decretum editum 21. Iunii anno 1665. atque aufert potestatem, quo ad hoc datam à Trid. Sess. 25. c. 4. de refor.

Q. 3. *An sit licitum accepto pinguiori stipendio Sacra per alios exsolvere, dando illis consuetum stipendium, & reliquum sibi retinendo?*

R. 1. Si Sacerdos stipendium accepit, non ut ipse celebret, sed ut curet per alium celebrari, certum est teneri dare celebranti totum stipendium, quia non est factus stipendii dominus.

R. 2. Si stipendium istud datum sit Sacerdoti ut ipse celebret, ita ut ipse fiat pecuniæ dominus sub onere celebrandi, docuerunt quidem multi talem Sacerdotem, si postea nolit, aut non possit illas Missas pro quibus liberalius stipendium accepit, celebrare, de jure naturali posse illas aliis commendare, non tribuendo illis nisi consueta stipendia, & sibi reservando residuum.

Verùm quia id sordidum est, & sapit turpem

negotiationem, meritò improbatum est, & prohibitum à Sacrâ Congreg. Decret. jussu Urbani VIII. edito 21. Junii 1625. quod habetur in Bullario Urbani VIII. in hæc verba, *ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesiâ removere volens, prohibet Sacerdoti qui Missam suscepit celebrandam sub certâ eleemosynâ, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleëmosynæ sibi retentâ, celebrandam committat* : & in decreto Alex. VII. quo damnatur hæc propositio, post decretum Urbani VIII. *potest Sacerdos cùm Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere : collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.*

Q. 4. *An possit Sacerdos per anticipationem facere Sacra pro iis qui sibi primum offerent stipendia?*

R. Si intendat applicationem suspendere donec aliquis offerat, certum est invalidam esse applicationem, cúm non possit ipse sacrificii fructum suspendere, si tamen de præsenti ex nunc applicet ad intentionem eorum quos Deus novit sibi daturos stipendium, aliqui docent esse licitum, est tamen obnoxium magnis abusibus, & ideò prohibitum à sacrâ Congregat. apud Lugo.

Q. 5. *An qui ratione stipendii aut alio titulo tenetur in certo loco celebrare, sed liberam habet sacrificii applicationem, possit novum stipendium accipere ut illud alicui applicet?*

R. posse. Præpos. Lugo, Aversa & alii communiùs contra Gavantum tom. 1. p. 3. tit. 12. n. 5. & Barbosam de potestate & officio Parochi allegantes dictum decretum anni 1625.

Verùm cùm decretum istud tantùm dicat Sacerdotes quibus diebus tenentur celebrare ratione beneficii, salarii &c. non posse aliud stipendium accipere, dici potest esse intelligendum, dum quis sic tenetur celebrare, ut etiam teneatur sacrificium applicare.

Eodem modo intelligendum est aliud decretum ejusdem Congregationis, quod citat Gavantus, editum 1. Septembris 1629. quo specialiter prohibetur Parochis stipendium accipere iis diebus quibus tenentur celebrare in suis Parochiis : si nempe simul teneantur sacrificium applicare suis Parochianis, aliàs enim non apparet cur non etiam istis diebus possint stipendium accipere.

CAPUT XII.

De Tempore, Loco, & Aliis necessariis ad Missæ Sacrificium.

Q. 1. *Quando, quoties, quâ horâ possit, aut debeat Sacerdos celebrare?*

R. 1. Ex communi tenetur quilibet Sacerdos non impeditus celebrare aliquoties in anno v. g. ter aut quater, idque sub mortali, quamvis dissentiant Alensis, Bonav. Cajet. & alii secluso scandalo.

R. 2 Non licet sæpiùs in die celebrare, præter quã in Natali Domini, & in casu necessitatis, qualis est ut Parochus duabus suis Parochiis satisfaciat &c. modó tamen ablutio non sit sumpta in priori Sacrificio, alioqui nec in Natali Domini, nec in aliis casibus potest fieri altera Missa.

An autem, & quomodo possit talis Parochus in duabus parochiis officium facere in die Parasceves, videri potest apud Sylvium, qui id negat quia pars hostiæ consecratæ sumi debet cum vino, & sic post primum officium desinit Sacerdos esse jejunus. Neque potest in priori Ecclesiâ sumere spe-

ciem panis absque calice & vino, ut in posteriori denuò peragat officium; quia nulla est necessitas iterandi istius diei officii, cùm ad illud audiendum fideles non obligentur præcepto Ecclesiastico. Deinde talis praxis non est à Rom. Pontifice unquam probata, vel recepta. Ita Sylvius.

R. 3. Etsi jure communi non liceat celebrare plusquam duabus horis ante Solis ortum, in Belgio tamen, & alibi consuetudine receptum est, ut in hyeme in gratiam opificum & similium, tribus aut quatuor horis ante Solem celebretur. In Natali autem Domini possunt tres Missæ privatæ celebrari de nocte.

R. 4. Non licet regulariter loquendo inchoare Missam post meridiem, seclusâ causâ notabili v. g. magnæ Solemnitatis, exequiarum &c. censet Layman posse Episcopum dispensare, ut notabiliter differatur inchoatio Missæ post meridiem, uti & dispensare ut notabiliter fiat ante auroram.

Q. 2. *Quibus in locis liceat, aut non liceat celebrare?*

R. 1 Est mortale celebrare extra Ecclesiam consecratam, vel benedictam, vel saltem Oratorium ad sacros usus authoritate Episcopi deputatum, secluso privilegio vel necessitate, etiam non summâ: ut si in aliquâ solemnitate sit magnus populi concursus, qui non possit capi Templi aut Sacelli angustiis. Potest autem Episcopus etiam post Trid. ex magnâ causâ (ut si persona quædam illustris ægrotet) dispensare ut Sacrum fiat in honestâ parte domûs.

R. 2. Per se loquendo est mortale celebrare in Ecclesiâ violatâ, aut pollutâ. Interdum tamen licet propter necessitatem ex licentiâ Episcopi.

Addunt aliqui, etiam sine licentiâ, si est gravis necessitas, & Episcopus adiri non potest. Quòd si Templum violetur Sacerdote jam celebrante, si post inceptum Canonem, potest pergere: si ante;

debet abrumpere. V. Suar. & Canonistas.

R. 3. Praxis jam obtinuit, ut ex licentiâ Pontificis celebrari possit etiam in mari, modò sit magna tranquillitas sine ullo tempestatis indicio, quamvis id antea negaretur communiùs ob periculum effusionis Sanguinis. Facundes, Granad. Lugo, Hurtad. &c. apud Dian. p. 5. tract 3. ref. 40. Vide etiam Lugo disp. 20. sect. 3. & ita permisisse dicuntur Clemens VIII. & Paulus V. Lusitanis euntibus in Indiam.

Q. 3. *Quæ sint alia ex præcepto Ecclesiæ necessaria ad celebrandum?*

R. 1. Est necessarium altare lapideum ab Episcopo consecratum, fixum aut portatile, tantæ saltèm magnitudinis, ut majore sui parte calix & patena in eo consistant. Reliquiæ, quæ ex præcepto adhiberi debent, non sunt de essentiâ.

In Altari autem debet esse 1. mappa linea duplex, aut una duplicata: imò juxta Rubricas Missalis triplex: non est tamen improbabile non peccare mortaliter qui citra contemptum celebrat cum unicâ.

2. Corporale lineum benedictum sufficiens ad continendam hostiam, & calicem.

3. Palla quâ calix tegatur, item benedicta & linea, saltèm quâ parte calicem tangit: nisi corporale sit sufficiens ut possit supra calicem replicari, & eum loco pallæ tegere. Etiam requiritur purificatorium lineum, non tamen necessariò benedictum. Suar. Gavant. Lugo contra Layman qui vult etiam pro eo requiri benedictionem.

4. Lumen cerei, saltèm unius; vel in necessitate, sevi, aut olei.

5. Liber continens saltèm Canonem, idque ex communi sub mortali, quamvis Layman non putet fore peccatum grave, si Sacerdos de suâ memoriâ securus, sine illo celebret.

6. Crucifixus nisi expositum sit Venerabile. Ejus tamen omissio non videtur esse plusquam venialis.

R. 2. Absolutè necessaria sunt calix & patena, quæ sint ex auro vel argento, vel cogente paupertate, ex stanno. Intellige quoad cuppam calicis. Ea debent ab Episcopo consecrari, aut ab alio habente potestatem.

R. 3. Requiruntur vestes sacræ consuetæ, eæque benedictæ ab Episcopo, vel habente potestatem, nempe amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula. Docetur communiter esse mortale celebrare sine aliquo illorum, putant tamen aliqui non esse mortale celebrare cum cingulo non benedicto aut disrupto aut etiam nullo, si adsit aliqua celebrandi necessitas.

Item docent aliqui posse in aliquâ necessitate adhiberi aliquam stolam benedictam pro cingulo vel manipulo, aut manipulus pro stolâ.

Ad celebrandum operto capite, etiam ob capitis infirmitatem, requiritur licentia, eaque Summi Pontificis, ut vult Gavantus, ex declaratione Cardinalium. Ita statuit Urbanus VIII. his verbis : *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missæ sine expressâ licentiâ Sedis Apostolicæ, nonobstante quâcumque contrariâ consuetudine* : vide Missale novum Urbani.

De his & aliis hùc pertinentibus vide plura apud Coninck, Sylvium, Præpositum, Lugo &c. item in Rubricis de defectibus, & de requisitis ad celebrationem Missæ.



TRACTATUS IV.

DE POENITENTIA.

CAPUT I.

De Pœnitentiâ ut est virtus.

Q. 1. *An pœnitentia sit virtus specialis distincta ab aliis virtutibus?*

Pœnitentia non est simplex resipiscentia, quâ homo post commissum peccatum proponit deinceps ab illo abstinere, sed insuper includit odium ac detestationem peccati, dolorem & afflictionem animi de eo commisso. Quæritur an sit virtus specialis?

R. Affirm. Nam licèt pœnitere quis possit de peccato ex motivo cujuscumque virtutis v. g. ex motivo charitatis, obedientiæ, temperantiæ, justitiæ &c. quibus peccatum commissum opponitur, quia tamen pœnitentia ut talis suum habet objectum formale, & motivum speciale distinctum à motivis aliarum virtutum, nempe bonitatem pacis cum Deo, sive id quod est Deum non habere

sibi offensum & aversum, rectè dicitur virtus specialis distincta ab aliis.

Q. 2. *Qui sint effectus pœnitentiæ?*

R. Esse tres nempe remissionem mortalium, remissionem venialium, & reviviscentiam meritorum. Qui effectus sunt pœnitentiæ generatim sumptæ abstrahendo ab eâ ut Sacramentum est, & ut virtus tantùm.

Q. 3. *An omnia peccata quantumvis gravia remitti possint per pœnitentiam?*

R. Omnia posse remitti. Est de fide ex Scripturâ in pluribus locis. Et ex Conc. Later. cap. *firmiter* de Summâ Trinitate &c.

Loca Scripturæ quibus videtur insinuari quorumdam peccata non posse remitti, intelligenda sunt, vel de impossibilitate consequente, ex defectu veræ pœnitentiæ, vel sic ut ly *impossibile* idem sit ac valde difficile.

Q. 4. *An peccatum mortale remitti possit sine pœnitentiâ.*

R. De lege ordinariâ remitti non posse sine pœnitentiâ, saltèm virtuali: quod addo, quia omne peccatum remitti potest per dilectionem Dei super omnia, quæ non est pœnitentia formalis, sed virtualis. Ratio est, quia non est æquum, ut qui voluntariè se avertit à Deo, summè & infinitè bono, convertendo se inordinatè ad bonum creatum, & ita excidit Dei amicitiâ, ad illam iterum admittatur nisi per pœnitentiam convertat se ad Deum avertendo se à creaturâ.

Q. 5. *An remitti possit unum mortale sine alio, & reatus culpæ sine reatu pœnæ?*

R. 1. De lege ordinariâ non potest unum mortale remitti sine alio, quia remissio peccati de lege ordinariâ non fit nisi per gratiam sanctificantem, quæ est indifferenter remissiva omnis peccati mortalis, cùm per eam homo fiat formaliter justus, & Dei amicus.

R. 2. Remiſſo peccato mortali ſemper remittitur reatus pœnæ æternæ. Eſt de fide ex Trid. ſeſſ. 6.c.14. non tamen ſemper remittitur reatus pœnæ temporalis. Ex eodem ſeſſ 14. c. 8. & can. 12.

Q. 6. *An, & quæ pœnitentia requiratur ad remiſſionem venialium extra Sacramentum ?*

R. 1. De lege ordinariâ requiritur aliqua pœnitentia, ſeu illorum retractatio formalis, vel ſaltèm virtualis incluſa in actu amoris, vel alio quovis ſupernaturali, habente formalem, vel virtualem repugnantiam cum illis, id eſt tali, ut ſi ea peccata venialia menti occurrerent, homo vi illius ea retractaret.

Collige ſacramentalia, ut ſunt v. g aqua luſtralis, panis benedictus, variæ benedictiones, & his ſimilia non remittere venialia per ſe immediatè, ſed tantùm mediatè, in quantùm (ut ait S. Tho. hîc art. 3. ad 1.) *inclinant animam ad motum pœnitentiæ,*

R. 2. Quamvis ad remiſſionem venialium optima ſit perfecta contritio, quæ eſt perfectiſſima pœnitentia, non tamen quælibet eſt remiſſiva quorumcumque venialium, ſed eorum tantùm ad quæ ſe extendit: poteſt enim voluntas ex amore Dei ſuper omnia deteſtari aliquod peccatum contra certam aliquam virtutem, retinendo affectum aliquem venialem contra alteram; quo caſu non remitteretur affectus iſte venialis, ad quem non extenderetur iſta contritio.

Coll. poſſe uno actu deleri quotcumque venialia quoad culpam, ſi nempe quis per actum perfectiſſimæ contritionis generaliter & efficaciter deteſtetur quidquid Deo diſplicet, quantumvis ſit leve.

R. 3. Probabiliùs videtur ad remiſſionem peccati venialis etiam extra Sacramentum in juſtis ſufficere attritionem. Cajet., Suar., Valent. Lugo

&c. contra Vasq Layman, Hurtado &c.

Dixi *in justis*, quia in peccatoribus non remittuntur, nisi etiam remittantur mortalia.

Prob. responsio 1. ex Conc. Tolet. 4. cap. 9. dicente quotidianam orationem nempe Dominicam, delere minima, & quotidiana peccata.

Prob. 2. ex Trid. sess. 14 cap. 5. dicente quòd licèt venialia utiliter in confessione aperiantur, taceri tamen citra culpam, *multisque aliis remediis expiari possunt.*

Ex quibus patet non per solam contritionem aut amorem Dei super omnia, sed aliis etiam modis, utique per attritionem, aliumve actum virtutis illorum retractativum, remitti posse.

Prob. 3. ex S. Th. hìc q. 87. art. 2 dicente: *quandocumque de novo gratia infunditur, peccata venialia remittuntur:* atqui ad infusionem novæ gratiæ non requiritur contritio, sed sufficit in justo quilibet actus supernaturalis, ergo &c.

Q. 7 *An opera bona per peccatum mortificata reviviscant per pœnitentiam?*

Ex eo quòd gratia sanctificans sit velut anima & principium vitæ spiritualis, opera supernaturalia, quæ fiunt ab homine justo, seu existente in gratiâ, dicuntur viva, seu vitæ æternæ meritoria: ea autem quæ fiunt ab homine existente in statu peccati mortalis, dicuntur mortua, neque vim ullam habent ad merendam vitam supernaturalem seu gratiæ, seu gloriæ. Opera veró quæ facta sunt ab homine existente in gratiâ, per superveniens peccatum mortale dicuntur mortificari, ex eo quòd anima per istud peccatum spolietur gratiâ, quam ante habuerat.

Quæritur an opera bona sic mortificata, peccato per pœnitētiam deleto, reviviscant seu eandem vim recipiant quam ante habuerant in ordine ad præmium vitæ æternæ.

De operibus mortu s non est quæstio ; quia cùm nunquam vixerint, certum est reviviscere non posse.

R. Reviviscere. S. Tho. q 89. art. 5. & Theologi communiter ex illo ad Hæb. 6 *non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri &c.* quibus verbis Apostolus hortatur ad pœnitentiam Hebræos post Baptismum lapsos, dicendo eorum antiqua bona opera nō esse in oblivione apud Deum, modo resipiscant. Ita interpretes communiter post Amb. Ansel. & alios Patres. Favetque Trid sess. 6. c. 16 his verbis : *hac ratione justificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostol. verba : non enim injustus est Deus &c.*

Et verò qūando absolutè & sine restrictione condonatur aliqua offensa, redeunt jura quæ per offensam fuerant impedita, ut patet in humanis.

Quod dicitur Ezech. 18. *Si averterit se justus à justitiâ suâ &c. omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*, intelligendum est de justo finaliter peccante, vel de inutilitate bonorum operum durante statu peccati.

Q. 8. *Ad quod premium merita reviviscant ?*

R. Reviviscere integrè & adæquatè ad omne præmium essentiale. Hoc est ad totam gratiam & gloriam, quæ ante peccatum eis debebatur. Est communis contra plerosque Thomistas volentes reviviscere ad solum præmium accidentale, hoc sensu quòd ipsis non tribuatur præmium diversum à præmio pœnitentiæ, sed illud detur duplici titulo.

Prob. ut ante, quia aliàs non esset perfecta, & absoluta remissio peccati.

Coll. hominem, qui postquam fuit semel justificatus, in peccatum lapsus est, nunquam ab eo resurgere nisi in majori gratiâ quàm ante habuerat : quia scilicet supra gratiam antiquis meritis debi-

tam etiam recipit gratiam debitam pœnitentiæ per quam resurgit.

Q. 9. *An sicut per pœnitentiam reviviscunt merita mortificata, ita per relapsum redeant peccata condonata?*

R. Peccata semel remissa nunquam redire formaliter, neque quoad culpam, neque quoad pœnam; sed tantùm virtualiter, hoc sensu quòd ratione ingratitudinis subsequens peccatum fiat gravius, & dignum majori pœnâ: imò sæpè accidat ut Deus ratione relapsûs, (præsertim si sit peccatum immisericordiæ) permittat hominem labi in tot peccata, ut adæquent debitum culparum antiquarum, quæ remissæ fuerant.

Et ita explicatur parabola servi debitoris Matth. 18 in quâ dicitur Dominus omne debitum servo roganti dimisisse, & nihilominùs postea iratus ob illius in conservum suum crudelitatem jussisse eum tradi tortoribus quoad usque redderet universum debitum. Et in fine parabolæ dicitur: *sic & Pater meus cælestis faciet vobis si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Dices Ezech. 18. sicut Deus dicit se non recordaturum omnium iniquitatum impii, *si pœnitentiam egerit*, ita dicit se non recordaturum omnium justitiarum hominis justi, *si averterit se à justitiâ*, ergo sicut per pœnitentiam reviviscunt justitiæ mortificatæ, ita per relapsum redeunt iniquitates dimissæ.

R. Eo loco tantùm institui comparationem in hoc, quòd sicut impius si egerit pœnitentiam, & in eâ perseveraverit usque ad mortem, salvabitur nonobstante iniquitate præteritâ, ita justus si peccet, & in peccato moriatur, æternum damnabitur nonobstante justitiâ antiquâ.

Q. 10. *An detur præceptum aliquando pœnitendi supposito peccato?*

R. Duplex esse ejusmodi præceptum nempe naturale, & positivum divinum. Naturale quidem quia jure naturali quisque tenetur adhibere media necessaria ad salutem, quam non potest peccator consequi absque pœnitentiâ. Positivum verò ut colligitur ex Script. Ierem. 8. & alibi passim graviter reprehendente peccatores præcisè, quia non agunt pœnitentiam. Item ex PP. apud Suar. & nominatim Tertul. lib. 4. de pœnitentiâ c, 4. expresse dicente Deum præcipere pœnitentiam.

Q. 11. *An peccator teneatur pœnitere statim?*

Affirmat Bonavent. presertim de Religiosis, eo quòd totum tempus vitæ sit Religioso tempus pœnitentiæ. Verùm

R. Non teneri, Durand., Medina, Suar. Vasq. & alii communissimè.

Prob. 1, Quia nullum est sufficiens fundamentum imponendi tam gravem obligationem.

Prob. 2. ex communi sensu & praxi Ecclesiæ, quæ non exigit à pœnitente ut se in confessione accuset, quod non elicuerit actum pœnitentiæ, statim post commissum peccatum, neque de eo se accusare solent, etiam viri docti, & timorati.

S. Tho. 2. 2. q. 62. art 8. dicens: *manifestum est quòd nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere.* Intelligendus est de permanentiâ in peccato actuali, seu affectu ad peccatum, ut patet ex contextu: nam ibi probat rem alienam debere statim restitui, dum commodè potest, quia continuatio detentionis rei alienæ, peccatum est. Ipsum autem pro nobis stare clarum est ex his ejus verbis in 4. dist. 17. q. 3. art. 1. quæstiunc. 4. ad 2. *non est de necessitate salutis corporalis quod statim medicina quæratur, nisi quando necessitas curationis incumbit: & similiter est de morbo spirituali.* Unde confirmatur nostra responsio.

Dices 1. Homo tum ex charitate sui, tum ex aliis capitibus tenetur quolibet instanti vitare malum peccati, quando necdum contractum est, ergo similiter tenetur illud removere statim atque contractum fuerit.

R. Disparitatem esse quòd permanentia, saltèm non valde diuturna in peccato habituali (adeóque & in statu inimicitiæ Dei & damnationis) supposito quòd quis jam illud contraxerit, non censeatur tam grave malùm, modò absit periculum propinquum irreparabilitatis, aut alterius lapsûs, quod supponit nostra responsio abesse: sit autem ingens malum per actuale peccatum sese constituere Dei inimicum, & reum æternæ damnationis. Simile est in morbo corporali, quem quisque omni tempore vitare debet; at ubi contractus est, si ex dilatione remedii non sequatur notabile mali incrementum, aut propinquum mortis periculum, non tenetur æger statim adhibere remedium. S. Tho. sup.

Dices 2. Permanentia in peccato habituali, seu inimicitiâ Dei, est contemptus amicitiæ illius, saltèm virtualis aut interpretativus, ergo &c. patet in servo aut filio familias, qui censetur dominum vel patrem contemnere, si à se gràviter offensum non statim facti pœnitens conetur placare.

R. N. ant. cujus contrarium patet ex eo quòd cum dilatione pœnitentiæ stare possit voluntas efficax recuperandæ Dei amicitiæ suo tempore.


Aliud est de hominibus qui nesciunt an is à quo offensi sunt, non adhuc sibi complaceat in offensâ præteritâ. Deus autem cui manifesta sunt hominum corda, certò cognoscit eum qui differt pœnitentiam, nihilominùs desistere ab omni affectu peccati, nec persistere in suâ malâ voluntate. Vide de his plura apud Scholasticos.

Q. 12. *Quandonam obliget præceptum pœnitentiæ?*

R. Obligat per se primò in articulo mortis, & in quocumque gravi illius periculo. Item probabiliùs obligat etiam extra mortis periculum, hoc sensu quòd non possit peccator absque novo peccato pœnitentiam ad valde longum tempus differre. Henriq. Suar. Coninck Lugo & alii communiùs.

Quanto autem tempore differri possit præcisè determinari non potest cùm id pendeat ex morali judicio attentis circumstantiis.

Dixi *per se*, id est ex ipso motivo pœnitentiæ; quia certum est peccatorem sæpiùs ad pœnitentiam obligari per accidens, nempe quoties illi aliquid faciendum est, quod requirit statum gratiæ, ut cùm debet ex officio aliquod Sacramentum conficere, aut Eucharistiam, aliudve Sacramentum suscipere. Item si quis existimet se aliter gravem aliquam tentationem superare non posse.



CAPUT II.

De Contritione secundùm se.

Q. 1. *Quid contritio & quotuplex ?*

R. Contritio in genere est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Trid sess. 14. c. 4.

Alia est perfecta, alia imperfecta.

Perfecta (quæ simpliciter dicitur contritio) est dolor ac detestatio peccati propter Deum summè dilectum.

Imperfecta (quæ à Trid & DD. passim dicitur attritio) est dolor, non ex motivo charitatis seu ex amore Dei. sed ex motivo aliquo inferiori, honesto tamen & supernaturali v g. propter metum gehennæ, vel turpitudinem peccati propositam per fidem.

Quod addo, quia detestatio peccati ex motivo merè naturali, v. g. propter metum infamiæ, aut alicujus pœnæ temporalis, vel etiam propter turpitudinem peccati solo lumine naturali notam, non est virtus, adeoquè nec attritio, de quâ hîc.

Q. 2. *Quomodò contritio perfecta importet actum amoris Dei super omnia ?*

Certum est contritionem perfectam importare actum amoris Dei super omnia, sed quæritur an actus ille amoris sit distinctus realiter ab actu doloris, & an sit amor formalis, an virtualis tantùm ?

R. 1. Etsi contritionem perfectam plerumque præcedat actus amoris Dei expressus, directus, &

ab ipso actu doloris realiter distinctus, ut constat experientiâ, ipsa tamen contritio in se cōtinet actum amoris, in quantùm est dolor elicitus ex puro motivo amoris, ob offensam bonitatem divinam summè amabilem.

R. 2. Amor ille, quem intrinsecè includit perfecta contritio, non tantùm est virtualis, ut vult Suar. sed formalis quamvis non directus, expressus. Cajet, Vasq. Hurtad. &c.

Prob. Quia contritio non est nuda displicentia peccati, sed displicentia ex motivo bonitatis Dei super omnia amabilis: ergo bonitatem illam attingit ut motivum formale ultimum & principale, licet solùm indirectè. Atqui illam non attingit per tendentiam fugæ, aut displicentiæ quâ talis, cùm talem terminare non possit bonitas ut sic. Ergo per tendentiam prosecutionis, seu efficacis complacentiæ, adeoquè amoris.

Q. 3. *An ut contritio sit perfecta debeat esse appretiativè summa?*

Nota aliud esse amorem vel odium appretiativè summum, & summum intensivè.

Amor appretiativè summus est qui ex naturâ suâ ita voluntatem afficit ut rem amatam omnibus aliis bonis præferat, & si objectum sic amatum esset deserendum, vel eo retento quodlibet aliud bonum, voluntas potiùs quidlibet desereret, quàm objectum amatum. Similiter odium appretiativè summum est, quod ex naturâ suâ ita voluntatem afficit, ut objectum odio habitum præ omnibus aliis malis detestetur, adeò ut si vel objectum odio habitum esset amplectendum, vel quodlibet aliud malum, voluntas potiùs quodlibet aliud amplecteretur, quàm objectum quod odit.

Amor intensivè summus est (& idem de odio) quo intra eandem speciem non potest dari intensior. Hoc posito.

R. Ut contritio sit perfecta debet esse appretiativè summa; id est quatenùs indirectè est amor Dei, debet Deum saltèm virtualiter, & implicitè rebus omnibus æstimatione affectivâ præferre, quatenùs verò directè est dolor & detestatio peccati, debet illud detestari super omnia, ita ut vi illius homo paratus sit, saltèm virtualiter & implicitè, quodvis aliud malum admittere potiùs quam peccatum.

Prob. 1. ex Scripturâ: Ioël. 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro.* Deuteron. 4. *Invenies eum, si tamen toto corde quæsieris* Matth. 10. *Qui diligit Patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus &c.* ex quibus aliisque similibus colligunt Theologi requiri summam illam appretiationem.

Prob. 2. ratione; quia perfecta contritio, quæ de se est justificativa (ut infra dicetur) debet esse proportionata conditioni peccati: atqui peccatum est summum malum & oppositum summo bono, utpote repugnans divinæ bonitati: ergo contritio debet esse odium & detestatio peccati super omnia mala & quidem ob repugnantiam cum divinâ bonitate magis quàm ob quamcumque aliam malitiam ei annexam. v. g. reatum gehennæ &c.

Notà non esse necesse, immo plerumque non expedire ut comparatio divinæ bonitatis vel malitiæ peccati cum aliis objectis quam importat contritio appretiativè summa, sit formalis & explicita, dicendo v. g. mallem hæc & ista atrocissima tormenta, aut etiam pœnas inferni subire, quàm Deum offendere: nam talis comparatio potest esse periculosa, præsertim infirmioribus; sed sufficit virtualis & implicita, detestando peccatum super omnia confusè sic ut vi istius præsentis affectûs paratus sit quæcumque occurrentia mala subire, quàm graviter peccare.

Neque ex eo quòd quis aliquantò post sese of-

ferente bono delectabili illicito illud amplectatur, sequitur priorem affectum non fuisse efficacem, & appretiativè summum, cùm possit pro humanâ fragilitate desciviste a suo proposito, quamvis alioqui sufficienti.

Q. 4. *An ut contritio sit perfecta debeat esse intensivè summa, aut saltèm requiratur certus aliquis gradus intensionis Deo notus.?*

R. Negativè. Non primum: quia nec requiritur intensio summa absolutè, cum quâlibet assignabili semper dari possit intensior cum majori auxilio divino.

Nec requiritur summa quæ elici possit cum auxilio præsenti, quia alioqui sequeretur eum, qui cum auxilio ut unum, eliceret contritionem intensam ut unum, vi illius justificari, & eum qui cum auxilio ut octo eliceret contritionem intensam ut septem, non justificari.

Non secundum: quia contritioni, etiam remissæ, modò sit appretiativè summa, conveniunt ea, quæ Scripturæ & Patres requirunt ad contritionem perfectam & justificativam, nempe conversio ex toto corde, exclusio affectûs ad quodcumque peccatum mortale &c.

Quòd si PP. subinde dicant contritionem debere esse vehementem, summam, & adæquantem magnitudinem peccati, vel loquuntur de magnitudine appretiationis, vel si loquantur de ipsâ intensione, eam requirunt ex consilio ad melius esse, vel si ex necessitate, eam requirunt ad perfectam & totalem remissionem peccati, etiam quoad pœnam.

Q. 5. *An contritio perfecta necessariò se extendat ad omnia mortalia, & quomodo?*

Nonnulli apud Vasq. q. 86. art. 2. dub. 7. n. 1. ad justificationem requirunt tot contritionis actus distinctos quot sunt peccata. Canus autē & Sylvius q. 2. suppl. art. 6. requirunt actum quidem unicum

contritionis, sed qui feratur distinctè in singula mortalia commissa. Contra quos.

R. Non est necesse ut contritio se extendat ad singula formaliter & distinctè, requiritur tamen ut se extendat ad omnia virtualiter & confusè.

Prob. 1. Pars: quia contritio ex amore Dei appretiativè summo, in eo qui confusam habet memoriam suorum peccatorum, vel distinctam unius, & confusam aliorum; est vera conversio ex toto corde, adeoque justificativa, & tamen non se extendit ad omnia formaliter & distinctè.

Confirm. quia saltèm in casu oblivionis peccatorum potest homo sine distinctâ eorum detestatione justificari, ut habet expressè S. Thom. q. 87. art. 1.

Prob. 2. Pars: quia ut contritio sit perfecta & justificativa, debet procedere ex motivo & affectu efficaci amicitiæ, seu amoris Dei super omnia, qui affectus excludit efficaciter affectum ad quodlibet mortale, & consequenter extendit se virtualiter ad omnia mortalia.

Hinc contritio imperfecta, seu quæ oritur ex quodam Dei amore imperfecto, vi cujus homo non detestaretur etiam virtualiter omnia Deo graviter displicentia, sed solùm ea, quæ gravissimè illum offendunt, qualia sunt odium Dei, blasphemiæ, hæreses &c. non est perfecta, nec sufficiens ad justificandum, ad quam ex Script. & Patribus requiritur conversio ex toto corde.

Dùm S. Tho. hìc dicit ad remissionem peccati mortalis requiri ut homo diligentiam adhibeat ad rememorandum singula mortalia, ut singula detestetur, non loquitur de obligatione ratione pœnitentiæ, seu contritionis ut sic, sed ratione confessionis faciendæ. Et ita intelligendi sunt si qui PP. similiter loquantur.

Cæterùm ad majorem securitatem omninò ex-

pedit, quantùm fieri poteſt, de ſingulis diſtinctè conteri, & de iis quæ remiſſa fuerint per contritionem generalem, ſeu ad illa extenſam tantùm confusè, poſtea conteri per contritionem ſpecialem, quæ ad ea diſtinctè & formaliter ſe extendat.

Q. 6. *An contritio perfecta infallibiliter & ſtatim juſtificet extra Sacramentum?*

Negant Eſtius & Molanus, in hoc ſecuti magiſtrum ſuum Michaëlem Baium, inquit Lugo, diſp. 5. n. 119. dicunt illi contritionem non ſemper juſtificare extra Sacramentum, ſed tantùm aliquando ex ſpeciali Dei miſericordiâ v. g. in articulo mortis, aut in maximâ difficultate habendi Confeſſarium, ut contingit habitanti inter infideles, aut denique quando contritio eſt extraordinariè intenſa. Verùm,

R. Contritio perfecta ſemper & ſtatim juſtificat, etiam extra Sacramentum. Et hæc reſolutio tam certa eſt, ut contrariam ſententiam alii erroneam, alii periculoſam & parùm tutam in fide. Alii temerariam & ſcandaloſam vocent apud Lugo. n. 115.

Prob. 1. ex Script. Ezechiel. 18. *ſi impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vitâ vivet*, Et cap. 33. *Iuſtitia juſti non liberabit eum in quâcumq; die peccaverit, & impietas impii non nocebit ei, in quâcumque die converſus fuerit ab impietate ſuâ.* Ubi per comparationem inter juſtum & impium oſtenditur quòd ſicut peccatum ſtatim & infallibiliter hominem maculat, ita & vera converſio illum juſtificat.

Prob. 2. ex PP. Chryſoſt. qui, ut habetur cap. *talis* 33. q. 3. de Pœnit. diſt. 3. ſic ait *pietas Dei &c. quantulamcumque & quamlibet brevi tempore geſtam non reſpuit pœnitentiam* Leo 1. Epiſt. decretali 91. pòſt Med. *apud Deum nullas patitur venia moras con-*

versio, dicente spiritu Dei per Prophetam (Isaiam cap. 30. & 45.) *cùm conversus ingemueris, tunc salvus eris*. Vide plures apud Bellarm. Lugo &c.

Prob. 3. ex Trid. sess. 14. c. 4. *docet praeterea* (Sancta Synodus) *licèt contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, & hominem Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum* (Pœnitentiæ) *actu suscipiatur, ipsam nihilominùs reconciliationem contritioni sine Sacramenti voto, quod in eâ includitur, non esse adscribendam.* Quibus verbis apertè ostendit Trid. remissionem peccati ante Sacramentum actu susceptum suppositâ contritione charitate perfectâ.

Nec dicas per ly *aliquando*, & ly *contingat*, in isto loco Trid. indicari non semper aut ordinariè contritionem extra Sacramentum Deo reconciliare; non enim dicit Trid. contritionem charitate perfectam aliquando Deo reconciliare, sed contingere aliquando contritionem esse charitate perfectam, & tunc Deo reconciliare.

Prob. 4. ex Catechismo Rom. p. 2. c. 5. ubi agens de contritione. dicit: *statim ut eam mentibus nostris concipimus, peccatorum remissionem nobis tribui, ut qui salutis nostra cupidissimus nullam moram interponat ad tribuendam veniam.* Quod confirmat exemplo leprosorum qui cum irent ad Sacerdotes, mundati sunt in ipso itinere.

Prob. 5. Hæ propositiones Baii damnatæ sunt à Pontificibus, Pio V. & Greg. XIII. *Charitas perfecta & sincera tam in Chatecumenis, quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.* Item *per contritionem, etiam cum charitate perfectâ, & voto Sacramentum suscipiendi, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut Martyrii*

Prob. 6. ex unanimi consensu Theologorum quorum nullus, inquit Lugo, n. 119. pro ne-

gante sententiâ, extra Baii scholam afferri potest.

Q. 6. *An amor Dei super omnia sufficiat ad justificationem sine pœnitentiâ formali?*

R. Affirm. est communis & certa contra Canum & paucos alios. non quòd negent amori super omnia semper annexam esse justificationem; sed quòd putent amorem istum numquam esse sine pœnitentiâ formali.

Prob. 1. ex Scripturis apertè & generaliter vim justificandi tribuentibus dilectioni secundùm se præcisè Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multùm.* Ioan. 14. *qui diligit me, diligetur à Patre meo &c.*

Prob. 2. ex PP. Aug. Bern. & aliis id passim inculcantibus.

Prob. 3. ex Constitutionibus Pii V. & Greg. XIII. damnantium has propositiones Baii: *charitas perfecta & sincera &c.* ut supra. Item *charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.*

Prob. 4. ratione: tum quia tota vis & efficacia contritionis ad delenda peccata oritur ex eo quòd procedat ex amore Dei, juxta illud: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*: tum quia dilectio est perfectissima conversio ad Deum, adeoque quoad rem efficax aversio ab omni peccato, divinæ amicitiæ destructivo, cùm accessus ad unum terminum sit realiter recessus à termino ei opposito.

Quod dicunt adversarii impossibile esse ut peccator Deum efficaciter diligat super omnia, & non doleat formaliter de peccatis, est manifestè falsum in casu quo peccator nequidem confusè recordatur suorum peccatorum.

Quod autem addit Canus pertinere ad Dei providentiam facere ut nullus peccator eliciat actum

perfectæ charitatis sine pœnitentiâ formali, gratis dicitur, & est contra experientiam.

Quòd si peccator eo instanti, quo elicit actum perfectæ charitatis, sit memor suorum peccatorum, fieri non potest moraliter, quin voluntas simul ea peccata detestetur, si tamen ponatur quòd in tali casu voluntas non eliciat, sed suspendat pœnitentiam formalem, videtur dicendum quod adhuc ille amor sufficiet ad justificationem, utpote qui vim illam habeat ex suis intrinsecis, cùm de se sit perfecta ad Deum conversio.

CAPUT III.

De Contritione ut est pars Sacramenti Pœnitentiæ.

PArtes materiales Sacramenti pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio.

Forma sunt verba quibus Sacerdos absolutionem impertit.

De singulis specialiter agendum erit. Nunc de contritione seu dolore requisito.



§. I.

De Dolore requisito ad Sacramentum Poenitentiæ.

Q. 1. *An & quis dolor requiratur ad hoc Sacramentum?*

R. 1. Ad valorem & effectum hujus Sacramenti requiritur aliquis dolor de peccatis commissis. Est communis & certa, saltèm quoad mortalia.

Quod addo, quia Suares disp. 12. sect. 1. n. 9. & apud illum Sotus & Ledesma docent pro venialibus sufficere solam voluntatem suscipiendi Sacramentum secluso actuali affectu ad peccatum. Quod probabile putat Præpos. q. 2. n. 73.

Prob. responsio 1. quia generaliter Scripturæ & CC. in adultis post Baptismum lapsis requirunt aliquam pœnitentiam ad justificationem.

Prob. 2. quia dolor ex Flor. & Trid. est pars Sacramenti pœnitentiæ, ergo universaliter est necessarius, etiam pro confessione venialium.

Col. contra Pentalogum non solùm ad effectum, sed etiam ad valorem Sacramenti, requiri verum dolorem cordis, nec sufficere dolorem oris, seu tantùm apparentem, qui non est verus, sed fictus dolor.

Nota tamen sententiam Suaris posse esse usui ad tollendos scrupulos, qui sæpe post confessionem venialium oriuntur, an elicitus sit verus dolor.

R. 3. Non sufficit dolor virtualis contentus in dilectione Dei super omnia, aut alio actu efficacis prosecutionis excludentis affectum ad peccatum, sed requiritur dolor formalis.

Prob. quia Flor. & Trid. dum docent contritionem esse partem hujus Sacramenti, contritionis nomine intelligunt dolorem formalem: nam Flor. in decreto Eugenii ita loquitur: *quarum prima* (scilicet pars Sacramenti) *est cordis contritio, ad quam pertinet ut doleat de peccato.* Trid. verò sess. 14. postquam c. 3. dixit, *sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius actus pœnitentis.* c. 4. subjungit *contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.*

Q. 2. *An iste dolor elici debeat ex intentione suscipiendi Sacramentum?*

R. Hoc non esse necessarium: quia licèt sit actio sacramentalis, hoc sensu quòd sit pars Sacramenti, non tamen à pœnitente procedit tanquam illius ministro. Itaque sufficit si quis nihil cogitans de confessione jam faciendâ, dolorem eliciat de peccato, deinde vi doloris velit jam confiteri, & de facto confiteretur nullo amplius dolore elicito. Ita Lugo disp. 14. n. 37. 42. & seqq. contra Præpos. q. 2. n. 30..

Q. 3. *Quandonam elici debeat ille dolor?*

R. Quamvis optimum sit dolorem proximè comitari ipsam confessionem, sufficit tamen quòd aliquamdiu præcesserit, dummodò moraliter ac virtualiter perseveret. Quantam autem id patiatur temporis latitudinem pendet ex prudenti judicio, attentis circumstantiis. Vide præpos. q. 2. n. 30. ubi dicit sufficere si quis elicito vesperi dolore, sequenti mane confiteatur.

Debet autem dolor necessariò præcedere, vel comitari absolutionem, non necessariò confessionem, sed mediare potest inter confessionem, seu declarationem peccatorum, & absolutionem.

Q. 4. *An ad singulas confessiones requiratur novus dolor?*

R. Affirm. nisi plures unam moraliter confessionem efficiant, ut si quis habens casus reservatos absolvatur primò à reservatis per superiorem, & pro non reservatis mittatur ad alium. Item si acceptâ absolutione recurrat peccatum oblitum, & statim post illud confitearis eidem, aut etiam alteri Sacerdoti, Henriq l. 4. c. 26. n. 7. Lugo & alii.

Q. 5. *An ad valorem hujus Sacramenti sufficiat dolor elicitus ex motivo merè naturali?*

R. Neg. Prob. 1. ex Trid. & aliis CC. requirentibus gratiæ auxilium, ut quis aliquid faciat quod conducat ad vitam æternam.

Prob. 2. ex Trid. sess. 6. can. 3. dicente *anathema ei qui dixerit sine Spiritûs S. inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem pœnitetere posse sicut oportet, ut ei gratia justificationis conferatur.*

Prob. 3. ex decreto Innoc. XI. damnantis hanc propositionem inter 65. 57. *probabile est sufficere attritionem naturalem* (nempe ad Sacramentum Pœnitentiæ) *modo honestam.*

Neque hinc sequitur, non valere Sacramentum, si quis ad illud accedat ex motivo venialiter malo, v. g. vanæ gloriæ, quia in similibus interveniunt duo actus, unus naturalis, qui est peccatum, alter supernaturalis, qui intrinsecè nititur motivo supernaturali.

§. II.

De Sufficientia attritionis cum Sacramento.

Q. 1. *An attritio cum Sacramento sufficiat ad justificationem?*

Attritionis nomine intelligitur contritio, seu animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero; non ea

quæ charitate perfecta est, & hominem reconciliat priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, sed contritio imperfecta, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, Vide Trid. sess. 14. c. 4.

R. Ejusmodi contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, cum Sacramento sufficere ad justificationem. S. Th. in 4. dist. 17. q 2. a. 5. & alibi. Scotus in 4. dist. 14. a. 3. Durandus. Capreol. & post Trid. plerique Doctores quos P. Pintherau in libello de attritionis sufficientiâ longo ordine recenset, qui unanimiter docuerunt sufficere quidem attritionem, & ex iis plures qui interfuerunt Trid. inter quos est melchior Canus, qui relect. de pœnit. p. 6. fol. 932. dicit attritionem ex metu gehennæ, vel exclusionis à gloriâ conceptam; immo cognitam ut talem, esse idoneam dispositionem ad gratiam percipiendam in Sacramentis Baptismi & Pœnitentiæ.

Prob. Responsio efficaciter ex Trid. sess. 14. cit. ubi fit comparatio inter contritionem perfectam & imperfectam, seu attritionem, quod illa hominem Deo reconciliet extra Sacramentum; hæc verò non reconciliet nisi cum Sacramento. De hâc enim expresè dicitur; *quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum disponit.* Proximè scilicet, & ita, ut accedente absolutione sacramentali, justificationem obtineat: nam, ut patet, ibi agitur de duplici contritione, quarum una extra Sactamentum, altera cum Sacramento hominem Deo reconciliat, adeoque ad Dei gratiam impetrandam proximè disponit, utique tâmquam ipsius Sacramenti pars.

Adde eâdem seff. can. 1. Sacramentum Pœnitentiæ dici esse Sacramentum *pro fidelibus Deo reconciliandis*, quod dici non potest in oppositâ sententiâ, juxta quam pœnitens nunquam Deo reconciliaretur per Sacramentum, sed semper per contritionem charitate perfectam, quam ipsi volunt prærequiri ad absolutionem Sacramentalem, & nos supra ostendimus per se sufficere ad justificationem, modò sit appretiativè summa seu super omnia,

Addo iterùm cùm Sacramentum Pœnitentiæ sit unum ex Sacramentis mortuorum, per se institutis ad peccati remissionem, non ponit obicem gratiæ, qui conscius peccati mortalis, ad illud accedit; modo per contritionem, seu perfectam seu imperfectam, illud retractet. Aliud est de Sacramentis vivorum ad quæ non potest accedere, qui conscius est peccati mortalis: & ideo si desit confessarius, requiritur contritio perfecta, saltèm existimata.

§. III.

De honestate attritionis ex metu gehennæ.

Q. 1. *An attritio concepta ex metu gehennæ sit honesta, & exclusiva peccati?*

Negant hæretici volentes omnem attritionem seu dolorem ex motivo gehennæ esse hypocrisin, & facere hominem magis peccatorem. Item Iansenius tom. 3. lib. 5. col. 27. & col. 560. his verbis: *impossibile est ut ille qui in peccandi proposito constitutus est solâ pœnæ formidine ita mutet voluntatem, peccatumque detestetur, ut non peccet.* Pro resolutione

Nota dolorem de peccato ex metu pœnarum

posse esse duplicem. Unus est cùm quis ex illarum metu ita dolet de peccatis, ut nihilominùs adhuc retineat affectum ad illa, vi cujus adhuc vellet peccare si abesset pœna: sicut is, qui præcisè ex metu naufragii merces projicit in mare, retento ad illas affectu: aut meretrix quæ ex metu mariti abstinet à peccato, retento ad illud affectu, vi cujus adhuc peccaret si abesset maritus.

Alter dolor est, cùm quis ex pœnarum metu non solùm culpam aversatur, sed omnem illius affectum exuit, utpote quem novit esse peccaminosum & pœnarum quas timet, inductivum. Sic mercator cui Deus revelaret omnes perituros qui non exuerent omnem affectum ad merces, non tantùm eas in mare projiceret, sed omnem etiam illarum affectum deponeret.

Uterque hic dolor est quidem servilis, hoc sensu quòd servorum more ex solo metu pœnæ à peccato abstineat, maximè tamen prior, qui peccandi affectum retinet: nam posterior cùm omnem affectum ad peccatum excludat, jamque Deum diligere incipiat, saltèm ut justitiæ fontem; & sperare in ejus misericordiâ, proximè accedit ad timorem filialem, quo quis peccatum odit, quia timet Deum offendere, non metu pœnarum, sed quia Deus bonus est, & amore dignus. Hoc prænotato.

R. 1. Attritio orta ex pœnarum metu merè servili, habente sibi annexum peccandi affectum, si abesset pœna, non est honestus, adeóque nec sufficiens ad justificationem in Sacramento obtinendam: Patet, quia talis affectus est in se peccaminosus, ac proinde ut loquitur Basil. in Psal. 33. *non sanctitatis operatorius, sed mortis*. & hoc sensu intelligendi sunt alii Patres, qui dolorem ex pœnarum metu acriter reprehendunt.

R. 2. Datur nihilominùs attritio orta ex gehen-

næ, & pœnarum metu honesta, & peccandi voluntatem excludens, Est de fide ex Trid. sess. 14. c. 4. post Med. *illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat* (Synodus) *non solùm non facere hominem hypocritam & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritûs Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat*: deinde nil frequentiùs in Scripturâ Sacrâ, item in Augustino, aliisque PP. quàm homines adhortari ad salutarem timorem pœnarum & gehennæ: *timete eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Matt. 10. *ille timor nondum castus præsentiam Domini & pœnas timet, timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum, sed timore patiendi illud malum; non timet nè amittat amplexus Sponsi, sed timet nè mittatur in gehennam ignis, bonus est & utilis iste timor.* Aug. in Ps. 127. Si bonus est quomodo retinet peccandi affectum? *hæc time* (inferni supplicia) *& hoc timore correptus animam à peccatorum concupiscentiâ, tanquam fræno quodam reprime* Basil. in Psal. 33.

Q. 2. *An attritio, quæ sufficit ad Sacramentum, includat necessario, aut annexum habeat aliquem amorem benevolentiæ erga Deum?*

R. 1. Contritio imperfecta, sive attritio quæ ex Tridentino sufficit cum Sacramento Pœnitentiæ, non debet includere amorem Dei super omnia perfectum, seu qui sit actus perfectæ charitatis.

prob. quia ut ostensum est supra ex Scripturâ, Patribus, & Concilio Tridentino, amor Dei perfectus, & contritio charitate perfecta, pecca-

torem justificant ante actualem Sacramenti susceptionem. Quare si prærequireretur ad absolutionem sacramentalem, ut pœnitens numquam Deo reconciliaretur per Sacramentum, sed semper per contritionem charitate perfectam: nec videretur esse ratio cur Pœnitentia diceretur Sacramentum mortuorum, potiùs quàm cætera Sacramenta.

R. 2. Ad justificationis gratiam in Sacramento impetrandam, necesse est ut dolor de peccatis, seu attritio, includat, aut annexum habeat aliquem amorem benevolentiæ erga Deum, saltèm imperfectum & inchoatum.

Prob. 1. ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 6. dicente ad pœnitentiam, quâ adultus disponi debet ad Baptismum, requiri *ut Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat.* Similis autem ratio est de dispositione ad Sacramentum Pœnitentiæ. Præterea idem Concil. sess. 14. cap. 4. eam attritionem, quam docet disponere ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam, vult esse conjunctam cum *spe veniæ.* At spes veniæ est quidam amor benevolentiæ erga Deum, imperfectus & inchoatus, habet enim pro objecto Dei bonitatem ac misericordiam, quam incipit propter seipsam diligere.


Prob. 2. quia attritio illa, cùm habeat annexam sibi voluntatem efficacem reconciliandi se cum Deo, ac proinde talem, quæ excludat affectum peccandi, utique habeat annexum sibi aliquem amorem Dei: quia ista efficax voluntas reconciliandi se cum Deo, est quidam amor Dei, saltèm imperfectus & inchoatus: qui enim efficaciter vult reconciliari cum eo, cujus amicitiam amisit, verè illum vel diligit, vel incipit diligere.

Confirmatur. quia attritio debet etiam habere annexum sibi propositum efficax non offendendi Deum in posterùm, placendi Deo, servandi

omnia ejus præcepta, inter quæ continetur præceptum ipsum dilectionis Dei.

Denique attritio, quæ sufficit ad Sacramentum, est actus virtutis honestus & supernaturalis; ut ostensum est q. 1. adeoque includit certo sensu amorem benevolentiæ, saltèm virtualem & inchoatum: quia ut ait S. Thomas in 3. dist. 26. a. 2. ad 3. *omnes aliæ virtutes* (distinctæ à charitate) *participant aliquid à charitate, scilicet desiderium summi boni, propter quod operantur.* Cujus ratio sumitur ex Phil. 7. ethic. c. 5. dicente *sicut se habet primum principium in intelligibilibus, & prima causa in effectibilibus, ita se habet ultimus finis in appetibilibus.* Unde S. Thom. & alii communiter docent, omnia quæ rectè volumus, necesse esse ut velimus propter ultimum finem. Quæ doctrina maximè valet in detestatione peccati, quatenus est aversivum hominis ab ultimo suo fine.

Cæterùm, quamvis hæc vera sint, monendi tamen sunt Confessarii, ut pœnitentes hortentur ad eliciendum actum perfectæ contritionis, eosque ad id juvent, præsertim verò rudiores.



§. IV.

Alia huc pertinentia.

Q. 1. *An ut attritio sit sufficiens debeat se extendere ad omnia mortalia?*

Certum est debere extendi formaliter vel virtualiter ad omnia mortalia nondum remissa, sed quæritur an, ut docent Coninck, Lugo, Palavicinus &c. extendi debeat saltèm virtualiter ad omnia omninò mortalia, etiam non commissa à pœnitente, sive an elici debeat ex motivo universali repugnante omnibus omninò mortalibus, quale est v. g. motivum æternæ gehennæ?

R. Etsi consultiùs sit dolorem elicere ex ejusmodi motivo universali extendente se ad omnia mortalia, probabiliùs tamen videtur id non requiri, sed sufficere quòd extendatur ad omnia mortalia à pœnitente commissa & nondum remissa. Et hic est communior DD. sensus, & praxis fidelium, qui accedentes ad confessionem sæpe sunt solliciti, tantum, de concipiendo dolore peccatorum quæ confessuri sunt.

Q. 2. *Quis dolor requiratur aut sufficiat in confessione venialium?*

R. Etiam pro illis probabiliùs est requiri dolorem formalem supernaturalem efficacem cum proposito emendationis &c. est communior contra Suarem supra §. 1. q. 1. docentem pro venialibus sufficere voluntatem suscipiendi Sacramentum secluso affectu ad illa.

Dicendum igitur eum, qui sola venialia confiteretur absque dolore formali, saltèm de aliquo illorum hoc ipso peccaturum mortaliter, quia redderet

deret sacramentum irritum. Supple si advertenter & voluntariè id faciat.

Ratio est quia dolor non tantùm requiritur tamquam dispositio ad effectum Sacramenti, sed tamquam pars illius essentialis : ut colligere est ex CC. absolutè requirentibus dolorem ad sacramentum.

Nota hoc esse discrimen inter confessionem venialium & mortalium, primò quòd pro venialibus non requiratur dolor vniversalis qui formaliter aut virtualiter se extendat ad omnia venialia non remissa. Secundò quòd ne quidem necesse sit ad essentiam & effectum, saltem partialem sacramenti, quòd dolor se extendat ad omnia venialia quæ hîc & nunc clavibus subiiciuntur, sed talis esse quód sit dolor de aliquo aut aliquibus illorum.

Ratio discriminis est quòd peccatum unum veniale remitti possit sine alio, non mortale.

Dixi *saltem partialem*, quia si quis confitens duo venialia, doleat tantùm de uno, absolvitur saltem ab illo. Suares tamen, conformiter suæ sententiæ, putat absolvendum ab utroque, si alteri actu non adhæreat.

Q. 3. *Quale debeat esse propositum non peccandi de cætero ? An scilicet debeat esse formale & expressum, an universale, quod se extendat ad omnia saltem mortalia ?*

R. 1. Probabilius est ad valorem & effectum hujus sacramenti sufficere propositum virtuale, & implicitum inclusum in dolore efficaci peccatorum, Bonac. Vasq. Laiman, Lugo, Coninck, & alii communiùs contra Bellarm. Toletum, & varios Thomistas.

Suar. disp. 20. sect. 4. n. 33. pro venialibus requirit tantùm virtuale, sed pro mortalibus, n. 34. requirit saltem ex necessitate præcepti, propositum formale distinctũ ab actu doloris.

Conciliari possunt authores isti, si dicatur propositum formale esse necessarium, saltem moraliter, quia nempè tanta est, & tam naturalis connexio propositi formalis cum detestatione efficaci peccatorum, ut eâ positâ non possit moraliter illud non sequi in homine cogitante de emendatione vitæ, ut cogitare solent seriò pœnitentes. Si tamen supponatur id non fieri, sufficere virtuale.

Prob. Quia ex nullo capite ostenditur plus requiri, cum Concilia abstrahant à formali & virtuali, & nominatim Trid. dicat Attritionem disponere ad gratiam in Sacramento, *si voluntatem peccandi excludat*. Hoc autem fit per dolorem ac detestationem peccati efficacem, etiam secluso proposito formali.

Quòd autem dicamus sufficere propositum virtuale contentum in dolore efficaci, non verò dolorem virtualem contentum in proposito formali, fundatur in eo quòd Concilia requirant dolorem tamquam partem essentialem Sacramenti, adeòque formalem, quod de proposito à dolore distincto probari non potest.

R. 2. Quia res hæc est magni momenti, ad majorem securitatem consultissimum esse, & pœnitentibus omninò suadendum, ut sicut supra de dolore monuimus, propositum semper eliciant universale, quod ad omnia se extendat, immò & distinctum à dolore, quantum fieri potest.

Notãdum insuper circa propositi efficaciam, eam consistere in certâ quâdam affectione voluntatis detestantis peccatum, & conditione intrinsecâ ipsius actûs, per quam fit ut quamdiù in voluntate perseverat, efficaciter excludat consensum in peccatum. Cum hâc tamen propositi efficaciâ, seu seriâ voluntate abstinendi in posterum â peccato, stat quod si homo conscius suæ fragilitatis prævideat ac judicet se non forè constantem in suo proposi-

tò, & quod rursùs in idem peccatum ſit relapſurus (hic enim actus non eſt voluntatis ſed intellectûs) & ſi de facto in illud iterum, iterumq; relabatur, non ſemper defectui veri propoſiti, ſed ſæpè fragilitati humanæ adſcribendum eſt.

Q. 4. *An Sacramentum Pœnitentiæ poſſit eſſe validũ & informe defectu doloris ſufficientis?*

Dicitur aliquod ſacramentum validum & informe, quod quidem validum eſt quo ad ſubſtantiam, ſed caret effectu ſuo principali, nempe infuſione gratiæ, defectu alicujus diſpoſitionis ad id requiſitæ. Sic Baptiſmus dicitur eſſe informis, quando validè collatus non producit gratiam v.g defectu doloris de peccato, aut alterius ſimilis impedimenti.

Quæritur an ſimiliter ſacramentum Pœnitentiæ validè collatum poſſit eſſe informe defectu doloris ſufficientis, ſic nempe ut habeatur dolor ſufficiens ad valorem Sacramenti, qui tamen non ſit ſufficiens ad infuſionem gratiæ, ſeu remiſſionem peccatorum?

R. Neg. Gabriel, Adrianus, Vaſques, Sa, Layman, Coninck, Silvius, & alii contra multos, præſertim Thomiſtas, ſed non omnes ex eodem fundamento. Suares, Lugo, & quidã alii recentiores volunt poſſe eſſe validum & informe defectu ſufficientis extenſionis doloris, ut ſi quis habens duo mortalia, unum tantùm confiteatur, & de eo doleat ob ſpecialem ejus turpitudinem, alterius autem obliviſcatur: verùm,

Prob. univerſaliter reſponſio: quia dolor ſufficiens ad valorem, eſt etiam ſufficiens ad effectum, vel ſi non ſufficiat ad effectum, neque ſufficit ad valorem.

Prob. Aſſ. ex his Tridentini verbis Seſſ. 14. c 3. *ſunt autem quaſi materia hujus ſacramenti pœnitentis actus, qui quatenùs in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam pecca-*

torum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hâc ratione pœnitentiæ partes dicuntur. quibus verbis manifestè indicat Tridentinum eos actus & non alios sufficere ut sint partes Pœnitentiæ, quæ requiruntur ad plenam peccatorum remissionem.

Hinc ad casum quem proponũt Suares, & Lugo, dicendum dolorem extendentem se ad sola peccata confessa, & non ad oblita, quæ nunquam fuerunt retractata, non solùm esse insufficientem ad effectum hujus Sacramenti; sed etiam ad ejus substantiam, ac proinde eo casu sacramentum non esse validum & informe, sed omninò nullum. Quòd si peccata oblita in confessione fuerint aliquando per dolorem sufficientem retractata, validum erit Sacramentum, non tamen informe, quia peccata oblita simul cum confessis remittuntur, licèt indirectè, ut postea dicetur.

Quod nuper asserere non dubitavit P. Carolus ab Assumptione in suo Pentalogo diaphorico, nempe Sacramentum pœnitentiæ esse validum & informe quando quis ad illud accedit cum dolore oris, ut loquitur, non cum dolore cordis, hoc est cum dolore externo & apparente, non cùm interno; est planè falsum, cùm certum sit ex Trid. & unanimi Ecclesiæ consensu verum & internum dolorem, & non apparentem tantùm, esse partem hujus Sacramenti. Vide falsam istam opinionem solidè confutatam apud Platellium, p. 5. cap. 6 §. 5. n. 701. & seqq.

CAPUT IV.

De Confessione.

§ I.

De Præcepto Confessionis tum Divino tum Ecclesiastico.

Q. 1. *An detur præceptum Divinum confessionis Sacramentalis? quos & quando obliget?*

R. Confessio omnium mortalium, post Baptismum admissorum, est præcepta jure Divino. Est de fide ex Trid. sess. 14. c. 5. *universa Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis jure Divino necessariam existere.* Ex hoc nempe quod Christus ad Cœlos ascensurus reliquerit Sacerdotes qui fidelium peccata possent remittere & retinere. Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta sunt*, retineri namque mortalia nonpossent ad Christi sensum, nisi esset necessitas ea confitendi, cùm alioqui independenter ab absolutione Sacerdotum remitti possent, sicut venialia.

Obligat hoc præceptum omnes baptizatos, etiam impuberes, qui post Baptismū mortaliter peccarunt maximè in articulo mortis, & presenti illius periculo. Item probabiliter aliquoties in vitâ etiam secluso præcepto Ecclesiastico confessionis annuæ; cum autem definiri præcisè non possit quando aut

quoties obliget extra articulum mortis & illius periculum, præcepit Ecclesia ut non differatur confessio ultrà annum.

Q. 2. *Quandonam obliget præceptum Confessionis Ecclesiasticum?*

Continetur hoc præceptum in cap. *omnis utriusque Sexûs* de Pœnit. & remiss. his verbis : *omnis utriusque sexûs Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Quo præcepto ex communi Fidelium sensu, cum Trid. sess. 14. c. 5. obligantur Fideles semel in anno confiteri, idque sub mortali, & patet ex contextu ejusdem capituli decernentis graves pœnas confessionem annuam omittenti.

R. Obligare semel in anno, quomodo autem computandus sit annus, variant sententiæ.

1. Vult computandum esse ab ultimâ confessione.

2. A tempore quo quis post ultimam confessionem lapsus est in mortale.

3 A Paschate ad Pascha, illud sumendo cum extensione ad 15. dies, intra quos implendum est præceptum Communionis.

4. A januario ineunte ad januarium.

Priores duæ sunt minùs probabiles, quia minùs conformes textui capituli. Duæ posteriores ferè ex æquo probabiles Tertia quidem quam tenent Suar. Coninck & alii, quia conformior est communi cōceptui fideliū, & praxi Ecclesiæ. Quarta verò, quæ præferenda videtur, quia conformior est textui capituli dicentis *semel in anno*; annus autem, nisi aliud addatur, ordinariè à fidelibus computatur à januario ad januarium.

Coll. Præcepto annuæ confessionis posse satisfieri quolibet anni tempore à januario ad januarium, licèt præceptum communionis impleri de-

beat regulariter intra 15. dies Paschæ.

Et meritò sic ordinavit Ecclesia, quia non expedit confessionem mortalium diu differri: si autem confessio limitata esset ad tempus Paschæ, sæpe ad illud tempus differretur cum magno salutis discrimine.

Quòd autem puniri soleant, qui in Paschate confessi non sunt, ideò fit, quia cum omnes tunc confiteri soleant, præsumuntur ii, qui tunc confessi non sunt, neque esse confessi reliquo anni tempore. Adde non propriè puniri ob neglectam confessionem, sed communionem, ad quam tunc obligantur.

Q. 3. *Quinam obligentur hoc precepto Ecclesiastico confessionis annuæ?*

R. Omnes Baptizati, etiam impuberes, existentes in mortali. Quod addo, quia S. Tho. in 4. dist. 17. q 3. art. 1. & alii communiùs docent, præcepto isto non teneri qui solùm habent venialia. Ratio est quia præceptum Ecclesiasticum est solùm determinatio temporis ad exequendum divinum. Præceptum autem divinum non est nisi de mortalibus. Ex Trid. sess. 14. c. 5. dicente venialia utiliter quidem in confessione aperiri, taceri tamen posse. Cœterum existimant aliqui habentem sola venialia teneri saltem sistere se proprio Sacerdoti: quam obligationem alii cum Hurtado non admittunt, nisi ad vitandum scandalum.

Varia huc pertinentia vide apud Suar. Vasq. Hurtadum, Lugo, Præpos. &c. nempe quòd is, qui toto anno confessus non est teneatur statim confiteri initio sequentis anni, sumendo ly *statim* moraliter, hoc est primâ opportunitate, ut dictum est de communione annuâ: quod qui prudenter existimat se reliquo anni tempore non habiturum copiam Confessarii, teneatur confiteri, cum illam habet. &c.

Q. 4. *Per quam confessionem satisfiat huic Præcepto?*

R. Requiri confessionem validam, adeoque non satisfieri per confessionem sacrilegam: cum enim, ut dictũ est supra, dolor qui est pars essentialis hujus Sacramenti debeat excludere omne peccatum, consequenter confessio sacrilega non est sufficiens.

Hinc ab Alexand. 7. damnata est hæc propositio: *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.*

Addunt Vasq. Præpos. & alii, insufficientem esse quamcumque confessionem carentem fructu Sacramenti, licèt defectus oriatur, non ex parte pœnitentis: sed Sacerdotis. Ratio est quòd præceptum impleri nequeat, nisi ponatur Sacramenti substantia, quotiescumque autem hoc Sacramentum frustratur suo effectu, deest illi aliquid quoad substantiam. Si tamen daretur confessio valida & informis, per illam probabiliter satisfieret præcepto, quia tunc poneretur res præcepta quoad substantiam.

§. II.

De qualitate Confessionis.

Q. 1. *An confessio possit aut aliquando debeat publicè fieri?*

Certum est contra Hæreticos confessionem auricularem, seu secretam semper fuisse usurpatam in Ecclesiâ, & quamvis Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem &c. delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur ut delicta, præsertim secreta, publicâ essent confessione aperienda. Trid. sess. 14. c. 5. item Cyprian,

Hieron. Aug. & alii PP. apud Suar. disp. 21. Sect. 2.

Immó confessionem publicam, quæ olim fiebat, sed de publicis peccatis tantùm, præcedebat confessio secreta, ex quâ judicabatur quid publicè esset confitendum, ut constat ex Sozomeno, & aliis. Nihilominus

R. Confessio Sacramentalis potest quandoque ex causâ fieri publicè.

Prob. quia Ecclesia confessionem per interpretem, quæ aliquo modo est publica, ut validam, & certis casibus ut licitam admitttit. Hinc in subito periculo naufragii, incendii; conflictûs &c. non tantum validè, sed etiam licitè plures simul confiteri possunt, & absolvi. Lugo, Coninck. &c.

Coll. hoc tribunal ita esse à Christo institutum, ut neminem voluerit obligari per se loquendo ad confessionem publicam, sive absolutè, sive secundùm quid per interpretem. Unde damnanda est praxis quorumdam Sacerdotum, qui ut citiùs se expediant, plures pueros, etiam doli capaces, coram se invicem confiteri faciunt, & simul absolvunt, quod teste Navarro & aliis mortale est, tum propter periculum infamiæ & sacrilegiorum, tum quia talem confessionis modum exigere, est contra jus pœnitentium.

Dixi *per se loquendo*, quia si quis in naufragio, vel simili mortis articulo aut periculo, crederet se non posse perfectam contritionem elicere, teneretur, si aliter non posset, saluti suæ prospicere per publicam confessionem. Talis tamen non teneretur cum suâ infamiâ integrè confiteri, sed sufficeret dicere peccata non ita infamantia, accusando se de cœteris in genere. Immò secundum Coninck, Dianam &c. dicere aliquod veniale, & secundum Hurtado disp. 9. difficul 10. signo aliquo profiteri se peccatorem ac pœnitentem, quomodo

in bello instante prælio solent integræ turmæ simul absolvi.

Nota si duo vel tres sic jaceant in eodem lecto, aut angusto loco, ut non possit unus confiteri, nisi cum periculo ne alter audiat, confessarius hâc de re pœnitentem præmonere debet, ne fortè ex ignorantiâ confiteatur ea, ex quibus posset infamari. Item monere eum obligari ad faciendam postmodum integram confessionem, dum erit occasio.

Q. 2. *An confessio sit necessariò facienda voce humanâ?*

R. 1. Id non esse de essentiâ Sacramenti, sed ad illius valorem sufficere si fiat nutibus & gestibus, aut etiam scripto. Ratio est quia per ejusmodi signa possunt peccata sufficienter declarari, & talis est Ecclesiæ praxis, etiam mutos ad hoc Sacramentum admittentis.

R. tamen 2. Non est licitum absque causâ rationabili aliter quàm verbis confiteri: est communis, licèt Villalobos apud Dian. p. 5. tract. 4. ref. 127. putet id tantùm esse veniale.

Dixi *absque causâ rationabili*, quia multis casibus id licet ex causâ, ut si pœnitens sit mutus, si ægrotus ob siccitatem oris, aut aliud impedimentum non nisi ægrè loqui possit. Si Sacerdos non intelligat linguam pœnitentis, neq; alius sit ad manū. Item nimia Balbuties & ingēs verecundia pœnitentis, v. g. puellæ ad confitenda pecca valde turpia, potest esse causa sufficiens ut scripto confiteatur, præsertim cum is qui sua peccata Sacerdoti legenda tradit, iis à Sacerdote perlectis dicit: *de his omnibus me accuso.* Vide Lugo disp. 15. n. 80. & seq. ubi dicit hunc confitendi modum licitum esse, etiam sine causâ, sicut si Sacerdos fuisset præsens dum pœnitens peccaret, vel si Confessarius relata sibi ab alio pœnitentis peccata, eidem pœnitenti exponeret, is sequenti die suf-

ficienter confiteretur dicendo: *me accuso de his quæ heri vidisti à me committi*: vel *accuso me de peccatis quæ tu ipse mihi ab aliis audita heri exposuisti*, ita Lugo putans tales verè & propriè cōfiteri humanâ voce.

Q. 3. *An qui non potest humanâ voce confiteri, teneatur id facere nutibus aut scripto.* ?

R. Affir. S. Tho. in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. & alii communiùs, quia tenemur implere præceptum eo modo quo commodè possumus. Cajet. tamen, Sotus, & quidam alii id negant de scripturâ, quòd hæc ex naturâ suâ sit nimis publica, & obnoxia incommodis, cum sit quid permanens, verum huic incommodo facilè occurri potest, chartam lacerando, aut comburendo statim à confessione.

Q. 4. *An confessio fieri possit ab senti per litteras, vel internuntium* ?

Nempè sic ut pœnitens nihil addat postea: nam si post factam confessionem per litteras, vel internuntium, pœnitens sacerdoti jam presenti dicat: accuso me de omnibus quæ per litteras meas cognovisti, tunc confessio fit verè sacerdoti presenti.

Nota huic controversiæ occasionem dedisse decretum quoddam Clem. 8. datum anno 1602. his verbis S. D. N &c. *re maturè ac diligenter consideratâ hanc propositionem, scilicet licere per litteras vel internuntium confessario absenti confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit ac prohibuit &c.*

Ex hoc decreto manifestè sequitur illicitum esse quovis casu confiteri absenti, & ab absente absolvi in sensu copulato, sive sic ut totum Sacramentum peragatur inter absentes.

Sed tria restant quærenda quæ ex ipsis præcisè decreti verbis, non videntur posse clarè deduci.

1. An non tantùm illicitum, sed etiam invalidum sit Sacramentum sic totaliter peractum inter absentes?

2. An accipiendo verba decreti divisim, valida sit absolutio, aut illicita, si confessio facta fuerit Sacerdoti præsenti?

3. An licita sit & valida confessio facta absenti, ut absolutio postmodùm accipiatur à presente?

R. 1. Confessio facta absenti, ut absolutio conferatur ab absente, non tantùm est illicita, sed etiam invalida.

R. 2. Absolutio data absenti, etiam post confessionem in presentiâ factam, est invalida.

Prob. utraque responsio ex communi sensu, & constanti usu Ecclesiæ, in quâ nullo unquam casu permissum est dare absolutionem absenti, ne quidem in extremâ necessitate.

R. 3. Illicitum est (saltem secluso casu extremæ necessitatis) confiteri absenti per litteras, aut internuntium, sic ut expectetur absolutio danda præcisè vi istius confessionis.

Prob. ex decreto Clementis, quod intelligendum esse non solùm in sensu copulato, sed etiam diviso, dicitur tum ipse Clemens, tum Palus V. postea declarasse.

R. Nihilòminus 4. probabilius videtur confessionem factam absenti, ut à præsente postmodum absolutio obtineatur, esse validam. Ita ex antiquis, Adrian. Paludan. Silvest. &c. & ex iis qui scripserunt post decretum Tolet. Henric Valent. Suar. Filiuc. Proposf. Amic. Kellison, Villalobos & alii multi contra victoriam, Sotum, Canum, Nugnum, Hurtad. Vasq. Choquet, Sylvium & plures recentiores post decretum.

prob. quia ut mox probabitur valida est absolutio moribundi, qui per internuntium petiit con-

fessionem, atqui eo casu, saltem posito quòd internuntius non redeat, nec ullus sit qui coram moribundo testetur Sacerdoti ipsum dedisse signa pœnitentiæ, confessio simpliciter facta est absenti; ergo:

Quare dùm Pontifex in suo decreto prohibet doceri ut probabile licere ullo casu confiteri absenti, intelligendus est per se loquendo, & seclusâ extremâ necessitate; alioqui per accidens ratione extremæ necessitatis, non videtur id esse illicitum.

Et verò Pontifex ut ex ejus verbis patet, ibi non intendit quidquam definire de validitate, aut invaliditate talis confessionis, sed efficaciter impedire ne in praxim deducatur quascumque ob causas. Unde dum dicit id nullo casu licere non intendit comprehendere casum extremæ necessitatis articuli mortis, sed quosvis alios, ut clariùs patebit ex mox dicendis.

§. III.

De Confessione Moribundi.

Q. 1. *An moribundus qui inchoatâ, sed nondum absolutâ confessione, usu rationis destituitur, absolvi possit?*

R. Posse, & debere absolvi, est omnium & certa, ut patebit ex dicendis infra de confessione tantùm formaliter integrâ. Idem dicendum si inchoatam heri confessionem distulerit hodie perficiendam, & jam obmutuerit.

Q. 2. *Quid dicendum de moribundo qui signis tantùm & nutibus absolutionem petit à Sacerdote præsente, aut qui in absentiâ Sacerdotis confessionem petit vel signa doloris dedit, si testes coram ægro id testentur Sacerdoti?*

R. Esse absolvendum. & hæc est modò Ecclesiæ praxis, plurimorum & gravissimorum DD. authoritate firmata: supra triginta citat, & sequitur Diana p. 3. tract. 3. resol. 1. & 4. contra Domin. Soto, Canum, Alvares, Choquetium, & plerosque Thomistas, non tamen omnes: nam Nugnus q. 9. supplem a. 2. dub. 1. §. *Vtraque*, docet utramque quidem sententiam satis esse probabilem, speculativè loquendo, sed nostram dicendam esse probabiliorem practicè loquendo, id est, ut ait, esse opere sequendam.

Joannes de la Cruz in Directorio conscientiæ de pœnitentiâ q. 3. n. 15. dicit probabile esse moribundum, qui absente Sacerdote confessionem petiit, absolvendum esse, modò alii id in præsentiâ ægri Sacerdoti testentur.

Ex quibus falsitatis arguitur Choquetius de confessione per litteras c. 7. n. 20. dicens hanc sententiam esse paucorum recentiorum.

Utraque pars nostræ sententiæ probatur efficaciter ex Rituali Romano edito jussu Pauli V. ubi de Sacramento pœnitentiæ §. penult dicitur: *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, seu per se, seu per alios ostenderit, absolvendus est.*

Conformiter ad hoc Rituale Romanum, edita sunt alia Ritualia variarum Diœceseon, ut Cameracense, Atrebatense &c. non tantùm in Belgio, sed etiam, ut testatur ipse Choquetius, in Lusitaniâ, quæ idem præcipiunt. Cameracense editum anno 1622. de pœnitentiâ. n. 42. ita habet: *Si pœnitens postquam peccatum aliquod confessus est, vel antequam incipiat confiteri, amittit loquelam, absol-*

vendus est &c. immò si Sacerdotem pro confessione vocavit, & antequam is adveniat vocem & sensum amiserit, absolvendus est, modo testes affirment eum signa contritionis dedisse, confessionem petiisse.

Neque his obstat decretum Clementis dicentis nullo casu licere confiteri in absentiâ.

Nam 1. dici potest cum Vasq. Coninck Sylvio &c. confessionem tunc non censeri factam absenti, sed præsenti, saltèm quando adstantes dant testimonium petitæ confessionis, ægro & Sacerdote præsentibus.

2. Quia, ut ante dictum est, decretum Clementis non extenditur ad casum extremæ necessitatis articuli mortis, vel intelligendum est de confessione perfectâ & strictè sumptâ de peccatis distinctè & in particulari expressis, sic ut nulla remaneat obligatio ea iterùm distinctè clavibus subjiciendi; non verò de confessione latè sumptâ, quâ quis manifestando desiderium confessionis in actu exercito fatetur se esse peccatorem, idque in ordine ad absolutionem. Quæ confessio importat obligationem confitendi postea distinctè, si detur commoditas: & ea non damnatur à Clemente ut illicita in casu necessitatis. Ita Lugo disp. 17. n. 72.

His adde Clementem, postquam decretum istud edidit, interrogatum de casu moribundi respondisse, se non intendisse casum illum suo decreto comprehendere, quod Bellarm. & Petrus Lombardus Archiepiscopus Armacanus Hiberniæ Primas, testati sunt se ex ipsius Clementis ore audivisse.

Pro praxi observanda sunt sequentia.

1. Testes petitæ confessionis, quantum fieri potest, audiantur à Sacerdote in præsentiâ moribundi.

2. Sacerdos ab ejusmodi moribundo conetur elicere aliquod peccatum in specie, v. g. menda-

cium, impatientiam aut aliud committi solitum illud ei in aurem insusurrando, & monendo, ut si illud commiserit aliquo signo declaret, v. g. comprimendo manum Sacerdotis.

3. Si nullum possit doloris signum elicere, & periculum sit in morâ, debet nihilominus moribundum absolvere, si is ante adventum Sacerdotis confessionem petierit, etiamsi istius desiderii testimonium non acceperit Sacerdos in præsentiâ ægri.

4 Si dubitetur an signa quæ à moribundo eduntur, aut ante sunt edita, sint adhibita in ordine ad claves, aut solùm merè naturaliter ex solâ mortis angustiâ, absolutio conferenda est sub conditione *si tu es capax.*

5. In supradictis casibus quilibet Sacerdos non tantùm potest, sed etiam tenetur moribundum absolvere.

Hinc Sylvius q. 9. supplem. a. 2. quæsito 4. casu 2. rectè advertit etiam adversarios teneri in praxi hanc sententiam sequi, cùm certum sit esse saltèm probabilem: nam ubi agitur de animæ salute, omnis probabilitas de valore Sacramenti sufficit in necessitate ad hoc ut Sacerdos teneatur Sacramentum conferre, saltèm sub conditione, hîc autem est magna probabilitas, & sufficiens ut absolutio conferatur etiam absolutè.

Dices: si quis sanus occurrens confessario ei dicat se peractis negotiis post unam alteramve horam venturum ad confessionem, & interim sive ex vulnere, sive ex apoplexiâ &c. sēsibus & usu rationis destituatur, non potest desiderium confessionis ante expositum censeri confessio sacramentalis, etiam in actu exercito: ergo similiter in nostro casu.

R. Disparitatem esse quòd talis declaret quidem in actu exercito, se habere peccata quorum velit habere

habere absolutionem, non tamen intendat eam obtinere vi præsentis declarationis, adeoque per hoc nõ censea tur peccata sua subjicere clavibus. At moribũdus in nostro casu vi istius declarationis intendit hîc & nunc absolvi, & ideò peccata sua, quamvis tantùm generaliter & confusè, clavibus subjicere.

Q. 3. *Quid dicendum de absolutione moribundi qui ita repentè oppressus est, ut nulla det, aut dederit doloris signa?*

R. Speculativè loquendo, & spectatâ solâ ratione, non videtur talis posse absolvi, quia confessio est de essentiâ hujus Sacramenti, quæ tamen in tali casu nulla habetur. Ita tenet maxima pars Theologorum cum Thomistis omnibus.

An autem authores qui à Dianâ p. 3. tract. 3. res. 8. & aliis citantur in contrarium, ut sunt Homobonus, Antonius de Litteratis, Molfesius, Lotherius, Salmeron, Lupus Capucinus. Item Bartholomæus à Fausto, Marchantius, Hauzeur, Bauni &c. faciant oppositum satis probabile, ut in praxi possit tali casu absolutio conferri, saltèm sub conditione, aliis judicandum relinquo. Volunt illi vitam Christianè peractam esse sufficientem declarationem, quòd in tali articulo doleant de peccatis, & absolutionem sacramentalem exoptent.

§. IV.

De integritate Confessionis.

Integritas confessionis alia dicitur materialis, alia formalis.

Confessio materialiter integra est cùm pœnitens omnia omninò mortalia confitetur, quæ necdum fuerunt per confessionem remissa.

Confessio formaliter integra est cùm confitetur omnia quæ hîc & nunc confiteri tenetur, quam-

vis aliqua omittat, sive ex oblivione, sive ex justâ causâ.

Q. 1. *An confessio Sacramentalis debeat esse materialiter integra?*

R. affirm. per se loquendo. Quod addo, quia per accidens subinde sufficit integritas formalis, ut dicetur infra: est de fide ex Trid. sess. 14. can. 7. de pœnit. Sacramento: *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debitâ & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occultæ, & quæ sunt contra duo ultima decalogi præcepta, & circumstantias quæ peccati speciem mutant &c. anathema sit.*

Ex hoc Trid: Canone Col. 1. hanc integritatem esse juris Divini.

Col. 2. Etiam confitenda esse peccata merè interna.

Col. 3. Omnia & singula, adeoque etiam publicâ notitiâ & aliunde nota: neque enim notitia quæ est in confessario, sed pœnitentis confessio est pars hujus Sacramenti.

Col. 4. Omnes peccatorum species, non quidem physicas (ut quod homicidium factum sit gladio, aut veneno &c.) sed morâles, seu distinctas in ratione peccati.

Col. 5. Omnes circumstantias mutantes speciem, seu quæ addunt novam malitiam moralem, non quæ venialem tantùm. Hinc qui fornicatus est cum personâ habente votum castitatis, aut qui furatus est calicem sacrum, non satisfacit dicendo simpliciter se esse fornicatum, furatum &c. quia circumstantiç personæ sacræ aut calicis sacri addunt malitiam sacrilegii.

Q. 2. *An in confessione exprimendus sit actus externus peccati?*

Ratio dubitandi est quod actus externus nullam

malitiam superaddat actui interno.

R. Nihilominus actum externum necessariò esse confitendum, quia malitiam actûs interni, seu voluntatis peccandi, à quo informatur ita participat, ut cum eo faciat unum peccatum totale, sitque velut illius complementum.

Q. 3. *An sit etiam confitendus effectus ex actu externo secutus?*

R. Esse confitendum, si effectus simul tempore vel in continenti sequatur ex actu externo hîc & nunc libero, quia cùm talis effectus hîc & nunc sit liber extrinsecè, & denominativè, sicut ipse actus externus, nihil illi deest, quominus dicatur formaliter peccatum. Imò judicio morali censetur esse unum cum actu externo; nam mors v. g. quæ hîc & nunc sequitur ex percussione liberâ, simul cum illâ complet peccatum homicidii.

Majus dubium est de effectu secuto ex causâ non ampliùs liberâ, ut mors hominis ex vulnere aliquamdiu ante inflicto, aut veneno propinato.

Dicendum, licèt probabile sit per se loquendo, talem effectum etiam ante confessionem secutum non necessariò esse exprimendum, ut tenent, Vasq. Granad. Bonac. Diana, &c. quos sequitur Lugo disp. 16. n. 440. præsertim si mala voluntas fuerit per pœnitentiam retractata, ut nonnulli limitant; quia tamen oppositum quod docent Sotus, Tho. Sanchez, Ludov., Lopes, Palao apud Lugo n. 439. item Præpos. & alii, est valde probabile, & fidelium sensui ac praxi conformius, omninò expedit, & sæpe necessarium est, saltem per accidens, tales effectus exprimere, ut Sacerdos cognoscat statum pœnitentis, an incurrerit obligationem restitutionis, casum reservatum, irregularitatem, censuram & similia, quæ solum incurruntur effectu reipsa secuto.

Q. 4. *An sint confitendæ circumstantiæ peccato-*

rum notabiliter aggravantes intra eandem speciem ?

Nota circumstantiarum alias esse mutantes speciem, quæ scilicet novam specie, seu diversæ rationis specificæ malitiam adferunt v. g. si quis fornicetur cum personâ Deo sacrâ, præter malitiam fornicationis, incurrit malitiam sacrilegii exprimendam in confessione.

Huc etiam pertinent circumstantiæ transferentes actum de veniali in mortale, v. g. furtum unius aurei, respectivè ad furtum aliquot assium.

Alias aggravantes tantùm quæ scilicet reddunt quidem peccatum gravius, sed intra eandem peccati speciem, ut furtum sex florenorum gravius est furto quinque florenorum, sed intra eandem furti speciem. Aliud esset si ex furto veniali transiretur ad furtum mortale, ut dictum est.

R. Probabile est circumstantias non mutantes speciem, sed solùm aggravantes, non esse necessariò exprimendas in confessione.

Prob. ex Trid. sess. 14. c. 5. & can. 7. ubi agens de circumstantiis in confessione explicandis, semper limitat ad mutantes speciem: quando autem verba legis limitant, idque sæpius ad certam aliquam partem nihil dicendo de aliis, non censetur lex extendi ad alias partes. Sicut si idem Concilium dicendo confitenda esse omnia & singula mortalia, addidisset hanc limitationem, *quæ prodeunt in actum externũ*, nemo non censeret indicari merè interna non esse necessariò cõfitenda, ita hîc.

Confirmatur. Quia obligatio tales circumstantias confitendi esset valde gravis tum pœnitentibus tum confessariis, & obnoxia multis anxietatibus & scrupulis, cùm difficillimum sit discernere circumstantias notabiliter aggravantes, præcipuè de intensione actûs, quam tamen æquè ac alias circumstantias exprimendam probant, si quid probant argumenta adversariorum. Hoc autem ite-

rùm est contra Trid. sess. 14. c. 5. ubi dicitur: *Impium est confessionem quæ hác ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere aut carnificinam illam conscientiarum appellare: constat enim nihil aliud in Ecclesiâ à pœnitentibus exigi, quàm ut postquam quisque diligentiùs se excusserit &c. ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.*. Vides nihil aliud exigi à pœnitentibus, quàm ut confiteantur omnia mortalia, & hoc ne confessio videatur esse *conscientiarum carnificina*, atqui, omittendo circumstantias tantùm aggravantes, possunt nihilominùs exprimi omnia mortalia, cùm circumstantiæ illæ non sint speciale peccatum distinctum specie vel numero : ergo.

Dices 1. Trid. eodem c. 5. & c. 8. dicit confessarium debere cognoscere peccati gravitatem, ut satisfactionem proportionatam injungat.

R. Debere cognoscere peccati gravitatem, & pœnitentiam proportionatam injungere, juxta normam hujus tribunalis, & leges à Christo & Ecclesiâ præscriptas, non aliter.

Et hoc ipsum debent respondere adversarii, qui communiùs docent actus subordinatos alicui principali v. g. tactus & aspectus impudicos subordinatos copulæ, non esse necessariò confitendos, nisi habeant malitiam diversæ rationis à malitiâ actûs principalis, cum tamen illi actus notabiliter aggravent peccatum.

Adde circumstantias notabiliter minuentes, etiam juxta adversarios non esse exprimendas, quarum tamen notitia æquè ac aggravantium necessaria est ad proportionandam satisfactionem gravitati peccati.

Dices: 2. Trid. non definit peccata dubia esse confitenda, & tamen sunt certò confitenda, ergo similiter &c.

R. Disparitatem esse quòd lex obligans ad om-

nia & singula peccata confitenda, sit certa, lex autem naturæ docet neminem posse voluntariè se exponere periculo infringendi legem certam, v. g. committendi homicidium, & consequenter quod non possim me exponere periculo non confitendi omnia mortalia, reticendo voluntariè dubia.

Dices 3. Si confessarius pœnitentem interroget de circumstantiis aggravantibus: tenetur pœnitens respondere, & illas aperire: ergo absolutè sunt confitendæ.

R. dissimulato antecedente, nego consequentiam: potest enim confessarius multa interrogare, quorum confessio non est præcepti, sed consilii, v. g. de venialibus.

Dixi *dissimulato antecedente*, quia probabile est per se & præcisè ex vi præcepti confessionis non obligari pœnitentem, etiam interrogatum, confiteri tales circumstantias, licèt plerumque ad id teneatur per accidens, ut cum id necesse est ut cognoscat confessarius an sit excommunicatus, aut aliam censuram incurrerit, an sit obligatus ad restitutionem, & quantam, an sit casus reservatus, item cum confessarius interrogat ad dandam pœnitentiam medicinalem, aut consilium vel remedium necessarium &c.

Ex quibus apparet omninò expedire ut pœnitens etiam non interrogatus tales circumstantias semper aperiat, sed quæstio nostra est, an ad id sit stricta obligatio, per se loquendo.

Dices 4. Ex hâc doctrinâ sequuntur varia absurda. 1. Qui sororem, aut etiam matrem carnaliter cognovisset, satisfaceret dicendo, commisi incestum, quia nempe probabile est omnes incestus esse ejusdem speciei.

2. Cum doceant aliqui omnia peccata carnis contra naturam esse unius speciei, satis erit dicere peccavi contra naturam, sive fuerit pollutio, sive sodomia &c.

3. Conjugatus peccans cum conjugatâ satisfaciet dicendo, commisi adulterium.

4. Qui fornicationi præmiserit tactus impudicos, satisfaciet dicendo tetigi puellam impudicè.

5. Qui furatus est mille aureos satisfaciet dicendo, peccavi graviter in materiâ furti, quia scilicet excessus quantitatis non mutat speciem furti.

6. Qui die jejunii fecit plures refectiones & carnes comedit, satisfaciet dicendo, se non jejunasse.

7. Qui per annum integrum perseverasset in voluntate alterum occidendi, satisfaceret dicendo, volui alterum occidere, & qui modo valde crudeli alterum occidisset, v. g. lento igne adurendo &c. satisfaceret dicendo commisi homicidium.

Ad 1. & 2. nego sequelam, quamvis enim daretur omnes incestus esse ejusdem speciei, uti & omnia peccata carnis contra naturam, nemo tamen admittit circumstantias incestûs cum matre aut sorore, vel circumstantias pollutionis, sodomiæ, bestialitatis &c. nō esse distinctè confitendas quia qui dicunt illa nō distingui specie, dicūt circumstātias aggravātes saltē aliquas esse cōfitendas & qui universaliter negant circumstantias intra eandem speciem aggravantes esse confitendas, consequenter dicunt peccata illa esse specie diversa.

Itaque quod monent Suares & alii, valde cavendum est in hâc aliisque materiis, ne misceantur sententiæ, & ex duabus propositionibus seorsim probabilibus inferatur conclusio improbabilis.

Ad 3. adulterium conjugati cum conjugatâ continet duplicem malitiam juxta Lugo & alios specie morali diversam; nam communi hominum judicio alia est species mali violare fidem thori alieni, alia thori proprii. Vide Lugo disp. 16. n. 140.

Ad 4. tactus impudici qui præcedunt copulam, censentur facere unum peccatum completum cum illâ, cumque copula sit actus principalis

ad quam illi ordinantur, debet ipsa exprimi.

Ad 5. Hanc sequelam admittunt plerique ex iis qui sunt nostræ sententiæ, malim illam negare cum Valentiâ; Bonac. &c. & dicere, debere exprimi summam notabilem furti non præcisè, ex eo quòd sit circumstantia aggravans, sed quòd ea æquivaleat pluribus furtis mortalibus numero distinctis, & distinctè cognitis ut talibus.

Ad 6. Ibi intervenit circumstantia non tantùm aggravans, sed mutans speciem, quia præceptum abstinendi à carnibus, & præceptum faciendi unicam refectionem, sunt duo præcepta specie diversa.

Ad 7. In diuturnâ perseverantiâ voluntatis non possunt non intervenire plures actus iterati numero distincti, adeoque confitendi, saltèm confusè. In homicidio autem tam crudeli, non tantùm peccatur peccato homicidii contra justitiam, sed & contra lenitatem.

Q. 5. *An qui peccatum aliquod confessus est, omissâ circumstantiâ mutante speciem, debeat postea non solam circumstantiam omissam sed ipsum etiam peccatum iterùm confiteri?*

R. Si malitia circumstantiæ exprimi possit non expresso peccato principali ad id non tenetur v. g. si quis furatus ex intentione fornicandi, solum furtum confessus est, sufficiet, si postea confiteatur voluntatem fornicandi, omisso furto: secùs si aliter non possit exprimi: ut si quis adulteratus, tantùm sit confessus fornicationem, non sufficiet si postea dicat se alteri fecisse injuriam, sed addere debet per adulterium. Lugo n. 649.

Q. 6. *An confitenda sint peccata dubia?*

R. 1. Qui facto diligenter examine probabiliùs judicat se peccatum, de quo positivè dubitat, non commisisse, vel illud non esse mortale vel se id antea esse confessum, non tenetur confiteri.

Ratio est quia ex dictis de conscientiâ licitum est sequi opinionem probabilem propriam relictâ tutiore part. 1. tract. 2. c. 4. q. 4. at è contra qui probabilius judicat se peccasse & peccatum esse mortale & se id antea non esse confessum, tenetur confiteri. Ratio est quia ex dictis ibid. quando agitur de honestate actus quisque tenetur sequi opinionem quam judicat veram seu probabiliorem.

R. 2. Si certus est se peccatum aliquod mortale commisisse, & dubitat dubio propriè dicto (hoc est sic ut non possit se determinare an illud confessus sit) tenetur confiteri. Ratio est quia constat contractam esse obligationem confitendi, & nulla ratio sufficienter probat eam esse sublatam, ac proinde possessio est pro præcepto contra pœnitentem.

Quòd si tamen peccatum pridem commissum sit, & ab eo tempore solitus sit debitè confiteri, non teneris juxta Præpos. illud confiteri, sed potes præsumere te tuo debito perfunctum fuisse, atque ita dubium istud negativum deponere.

R. 3. Probabile est speculativè loquendo eum qui præmisso sufficienti examine dubio propriè dicto, seu merè negativè dubitat an peccatum aliquod commiserit, quod scit esse mortale, non teneri ad illud confitendum. Coninck disp. 7. n. 69. Præpos. q. 5. n. 115. & seq. ubi dicit hanc sententiam semper sibi visam esse speculativè probabilem, similiter & Lessio & quibusdam aliis à se consultis. In eandem inclinat Layman. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 37. licet nolit recedere à sententiâ communi praxi, etiã inquit, ac persuasione fidelium receptâ. Ratio est quia in dubio delictũ præsumi non debet, & qui nequidem probabiliter judicare potest se peccasse, est in possessione suæ innocentiæ, & libertatis ab opere confitendi; quia tamen oppositâ sententia communior est, ea in

praxi suadenda est ad majorem securitatem.

R. 4. Quamvis quibusdam sit etiam probabile eum, qui certus est se peccasse, sed dubitat an sit peccatum mortale, an tantùm veniale, non obligari ad confitendum, id tamen in praxi non videtur satis tutum, cum etiam Coninck, & Præpos. qui citantur pro responsione præcedenti contrarium teneant. Ratio est, quia cùm non sit cujusque nosse qualitatem peccati, sitnè mortale an veniale, & extet præceptum cònfitendi omnia mortalia, congruum est dubia judicibus deferantur.

Pro praxi notanda sunt insuper sequentia.

1. Peccata dubia confitenda sunt ut dubia, qui tamen dubitat an mortale quod certò commisit, confessus sit, potest simpliciter illud confiteri.

2. Qui confessus peccatum ut dubium, postea deprehendit se non peccasse, vel non mortaliter, vel se fuisse confessum, non tenetur iterum id aperire, quia id non esset se accusare, sed excusare. Item qui deprehendit se non fuisse confessum id de quo dixerat se dubitare an esset confessus: similiter qui deprehendit esse mortale, quod tanquam veniale confessus erat, explicato tamen peccati objecto, & naturâ. v. g. Si quis tactus impuros confessus est, putans solùm esse venialia, & postea cognoscit fuisse mortalia, non tenetur amplius confiteri, quia totam peccati substantiam confessus est.

3. Qui tamen mortale ut dubium confessus est; si postea certò cognoscat se reipsà peccasse, tenetur ipsum ut certum rursùs in confessione aperire. Si tamen peccatum sit declaratum ut certum, vel ut probabile, & postea deprehendatur esse dubium, non debet postea, inquit Hurtado, rursùs exponi ut dubium.

4. Dum quis qnomodocumque dubitat an peccârit, tenetur in confessione dicere aliquod peccatum de quo sit certus, saltem veniale, aut antea remissum, ne scilicet Sacramentum exponatur periculo nullitatis.

Pro scrupuloso specialiter nota eum debere sequi regulam sibi à prudenti confessario præscriptam; quare si ei declaret, illum nihil debere confiteri, nisi de quo est ita certus, ut jurare paratus sit illud esse mortale, nec antea confessum fuisse, rectè faciet, si obediat. Sa, Sanchez, Coninck, &c.

Nec refert quòd fortè hâc ratione periculum sit ne aliqua mortalia maneant non confessa, tum quia hoc periculum in talibus est rarum, tum præcipuè quia tales non tenentur cum tanto suo damno, nempe certo periculo hærendi perpetuò in suis scrupulis & cruciatibus, omnimodam confessionis integritatem materialem procurare, cùm minora sæpe damna & pericula ab eâ excusent. Coninck disp. 7. n. 68. vide dicta p. 1. tract. 2. c. 6. de conscientiâ dubiâ & 67. de scrupulosâ.

Q. 7. *An & quomodo in confessione exprimendus sit numerus mortalium?*

R. Quidquid olim senserint aliqui canonistæ dicentes non esse necesse aliter peccatorum numerum exprimere, quam dicendo, *multoties aliquoties, &c idfeci*, certum est per se loquendo, & quantum fieri potest, exprimendum esse numerum mortalium. Habetur ex Trid. sess. 14. can. 7. definiente necessarium esse confiteri omnia & singula mortalia.

Quoad modum ea exprimendi servanda sunt sequentia.

1. Si certus numerus non occurrat, exprimendus est, quantùm potest moraliter & præter propter, dicendo v. g. inebriavi me decies plùs minùs.

Quòd si pœnitens propter diuturnam & frequentem consuetudinem peccandi, nequidem sic potest circiter numerum exprimere, ut contingit v. g. meretricibus, quæ longo tempore fuerunt prostitutæ, dicat à quo tempore talem peccandi consuetudinem habuerit, & quoties circiter peccare soleret singulis diebus vel hebdomadis.

Quòd si neque hoc possit, sufficiet peccandi consuetudinem confiteri, & tempus quo in illâ permansit absque interruptione, debet tamen quantum fieri potest distinctè exprimere actus habentes specialem malitiam specificam & eorum numerum juxta jam dicta. v. g. Si meretrix nesciens suarum fornicationum numerum, sciat tamen quoties admiserit conjugatos, Sacerdotes, &c. quoties peccârit contrà naturam &c. tenetur id distinctè exprimere.

Quòd si post confessionem factam pœnitens distinctè recordetur numeri quem sic confusè expressit, docent aliqui apud Præpos. non improbabiliter non teneri propterea iterùm confiteri.

Item si quis dixerit, commisi tale peccatum decies plùs aut minùs, & post deprehendat se multò minùs peccâsse, non est opus id postea dicere, quia minor numerus continetur in majori. Si verò deprehendat se multò pluries peccasse, v. g. vicies, tenetur confiteri vel errorem commissum, vel certè dicere simpliciter se peccasse decies, nempe quot vicibus numerum ante confessum excesserit. Si non excesserit notabiliter v. g. tantùm peccaverit duodecies, nihil est postea confitendum, quia duo illa supra numerum continebantur, sub ly plùs aut minùs.

2. Si unus actus per ordinem ad diversa objecta contrahat plures malitias solo numero distinctas (nam si habeat plures malitias specie distinctas certum est eas debere explicari) ita ut sint plura

peccata formaliter diversa, ut si quis plures homines uno ictu occiderit, si coram pluribus personis locutus sit obscœna &c. probabile est talem actum esse exprimendum secundùm suam multiplicitatem, seu explicandum numerum eorum per ordinem ad quæ desumit multiplicitatem numericam, præsertim si ad singula objecta distinctè attenderit.

Non est tamen improbabile quod docet Lugo disp. 16. n. 135. eum numerum per se loquendo non esse necessariò distinctè exprimendum. Ratio ejus est, quòd licèt supponantur ex diversitate objectorum resultare in ipso actu plures malitiæ formaliter diversæ, tamen qui dicit, occidi uno ictu plures homines, vel semel locutus sum obscœna coram pluribus; fatetur speciem & numerum sui actûs. Deinde qui violat jejunium vel diē festum duplici præcepto injunctum, v. g. communi præcepto Ecclesiæ, & particulari Episcopi, satisfacit dicens se semel violasse jejunium, vel festum, ergo similiter &c.

Cæterùm etiam juxta hanc posteriorem sententiam, qui plures homines uno ictu occidisset, vel qui famæ unius communitatis detraxisset, non satisfaceret dicendo: commisi homicidium, detraxi alterius famæ, sed dicere debet se uno ictu plures occidisse, se detraxisse famæ alicujus cōmunitatis &c.

3. Quando plures actus ita subordinantur ut censeantur unum peccatum, v. g. quando ad unū actum principalem ordinantur, velut media ad finem; nec habent de se aliam malitiam quam ipse actus principalis, sufficit ipsum actum principalem confiteri. Unde qui fornicatus est, & in ordine ad hoc præmisit verba impudica, tactus, oscula &c. satisfaciet si dicat, fornicatus sum. Secùs dicendum si ista usurpata sint per se, & absque ordine ad actum princi-

palem tantùm occasionaliter ex eis secutum.

Si quæ oscula, tactus &c. sequantur copulam, censent Suar. & alii communiùs esse exprimenda tamquam peccata à præcedenti fornicatione distincta, quamquam Lugo disp. 16. n. 553. Diana, p. 4. tract. 4. res. 205. & alii post Navar. id negent, dicentes ista esse complementum, & velut appendicem copulæ.

4. Si inter actus externos, nec sibi, nec actui ulteriori subordinatos intercedat tantùm exigua temporis mora, ita ut uno velut impetu voluntatis fiant, censentur continuari, & unicum facere peccatum.

Sic qui unico impetu profert in alium plures injurias, etiam interrupto aliquantum in alios sermone censetur tantùm semel peccare.

Item qui alium repetitis brevi intervallo ictibus percutit, qui plura circa rem eandem profert juramenta; qui pluries eodem iracundiæ calore successivè blasphemat; qui eosdem tactus impudicos, imò & copulam cum eâdem fœminâ sæpius repetit, exiguâ interjectâ morâ, & eodem animi impetu.

Dixi *cum eâdem*, quia si cum pluribus diversis id fiat, multiplex erit peccatum in confessione explicandum.

Neque obstat quod alibi diximus eum qui in mortali audit plurium confessiones successivè, etiam cum aliquâ interruptione, non peccare nisi semel.

Disparitas enim est, quòd actio illa audiendi confessiones accipiat unitatem moralem ex eo quòd omnes illæ auditiones contineant irreverentiam contra eundem Christum, cujus Sacramenta irreverenter tractantur, at fornicatio cum pluribus diversis, occisio plurium &c. cùm respiciant plura objecta diversa, & aliunde non

uniantur in uno actu, vel actione morali ad eundem finem, non est unde unitatem moralem accipiant ad faciendum unicum peccatum. Vide Lugo disp. 16. n. 558.

5. Quod ad actus internos attinet, sive dicatur cum Cano, & aliis voluptatem malam v. g. occidendi inimicum, fornicandi &c. tamdiu esse unicum numero peccatum, licèt sæpius per intervalla renovatum, quamdiu per contrarium voluntatis actum non fuerit interrupta: sive cum communi dicatur toties peccatum multiplicari quoties voluntas mala sic interrumpitur, ut nec in se, nec virtualiter, sive in aliquo permaneat, & interim postea renovetur, ut fit quando per somnum, naturalem oblivionem, vel aliam aliquam occupationem interrumpitur, ac postea resumitur, utrumlibet, inquam dicatur, probabile est sufficienter totum explicari exprimendo actum & temporis durationem, dicendo v. g. per mensem habui voluntatem alium occidendi, fornicandi, &c. cùm enim moraliter sit impossibile omnes istas interruptiones distinctè recensere, sufficit peccati numerum isto modo confusè confiteri.

Excipe nisi per actum oppositum aliquoties revocasses malam voluntatem, & postea resumpsisses. Suares disp. 22. sect. 5. n. 17. & 18. Coninck disp. 7. n. 51. Diana p. 3. trac. 4. ref. 95.

Q. 8. *An & quando possit aliquis excusari ab integritate materiali confessionis?*

R. 1. Ad valorem & effectum Sacramenti non est semper necessaria confessio materialiter integra, sed quandoque ex causâ sufficit integritas formalis. Patet tum ex dictis supra de absolutione moribundi, tum ex Trid. sess. 14. can. 8. definiente confessionem omnium peccatorum qualem Ecclesia servat, non esse impossibilem. Et c. 5. dicente peccata quæ post diligentem inquisitionem memoriæ

non occurrunt, censeri inclusa in eâdem confessione, scilicet in ordine ad remissionem eorum indirectam.

R. 2. Ab integritate materiali excusant impossibilitas physica & moralis, seu nimia difficultas, in particulari autem à DD. recenseri solent sequentes casus.

1. Si quis ex oblivione vel inadvertentiâ naturali non mortaliter culpabili, aliquod mortale omittat.

Notandum autem fieri posse quempiam mortaliter peccare per ignorantiam culpabilem, & tamen non peccare illud in confessione reticendo, fieri enim potest ut hîc & nunc adhibuerit diligentiam sufficientem in examinandâ conscientiâ, & tamen illud peccatum per ignorantiam priorem commissum, non occurrat ut confitendum.

Unde adolescens aliquoties confessus pollutionem voluntariam, quam culpabiliter ignorabat esse grave peccatum, compelli non debet ad repetendas confessiones, bonâ fide factas, sed tantùm ad confitendas eas pollutiones, quas omisit confiteri.

2. Si sit periculum ne pœnitens vel confessarius moriatur ante datam absolutionem.

3. Si ex auditione integræ confessionis immineat Sacerdoti grave aliquod periculum, v. g. contrahendæ pestis. Si tamen nihilominus paratus sit Sacerdos totam audire, ut interdum laudabiliter fit, tenetur pœnitens facere confessionem integram.

4. Si dum plures in periculo vel naufragii, vel instantis prælii confiteri cupiunt, Sacerdos non possit alicujus confessionem integram audire, nisi aliqui priventur beneficio Sacramenti, audito à singulis uno alterove peccato, potest omnes absolvere, etiam simul, si necesse sit sub hâc formâ: *Ego vos absolvo &c.*

5. Si Surdus, mutus, aut is cujus idioma non perfectè callet Confessarius, neque potest alteri confiteri, confessionis beneficium postulet.

6. Si ex declaratione alicujus peccati, prudenter timeatur grave incommodum (confessioni tamen extrinsecum) seu damnum spirituale, seu temporale pœnitentis, vel confessarii, vel etiam alicujus tertii, ut si prudenter putetur confessarius inde capturus occasionem sollicitandi ad peccatū, vel etiam ut addit Suares, ex fragilitate suâ grave scandalum passurus; si non servaturus secretum; si pœnitentem aut quemvis alium propterea gravi odio habiturus, aut malè tractaturus &c. Quæ tamen in praxi non sunt facilè præsumenda de confessariis.

Dixi *Confessioni tamen extrinsecum*, quia incommodum confessioni velut intrinsecum, id est natum sequi ex naturâ ipsius confessionis, non excusat ab integritate materiali v. g. confusio, quam pœnitens confitendo subire debet, sublatio bonæ opinionis apud Confessarium &c.

Non excusat per se loquendo magnus concursus pœnitentium, ut patet ex hâc propositione damnatâ ab Innocentio XI. *licèt sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursûs pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.* Circa hæc,

Nota 1, ut in casibus allatis, aliisque similibus liceat facere confessionem tantùm formaliter integram, requiri justam & gravem causam confitendi hîc & nunc tali Confessario, alioqui adeundus est alius, aut differenda confessio. Causæ autem justæ & graves censentur, urgens præceptum confitendi, obligatio celebrandi, aut communicandi, à quâ sine gravi notâ abstineri non possit, nè aliàs nimis debeat differri confessio.

Nota 2. Peccata quæ in confessione tantùm formaliter integrâ omittuntur, remitti quidem cum aliis, sed indirectè tantùm, adeóque remanere obligationem ea postea confitendi occasione datâ.

Hinc damnata est ab Alexandro VII. hæc propositio: *Peccata in confessione omissa seu oblita, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.*

Q. 9. *Quandonam sit iteranda confessio?*

R. Quotiescumque contingit esse invalidam, sive id proveniat ex defectu culpabili, sive inculpabili, tam pœnitentis, quàm confessarii: unde si contingat plures confessiones ejusdem pœnitentis fuisse invalidas, quia v. g. semper aliquid omissum est ex pudore aut aliter, non sufficit dicere feci tot confessiones invalidas, sed insuper peccata omnia mortalia in confessionibus illis ante declarata, iterùm confitenda sunt quoad species & numerum, optimo modo quo potest.

Contingere tamen potest, ut quamvis una vel plures confessiones præcedentes fuerunt invalidæ non tamen intermediæ, quia scilicet id quod in præcedentibus fuerat omissum voluntariè, & culpabiliter, in intermediis omissum est involuntariè & ex merâ oblivione, quo casu iterandæ sunt confessiones priores, non intermediæ.

Idem cum proportione dicendum, si confessiones fuerint invalidæ ex aliquo defectu ipsius confessarii, v. g. defectu approbationis, aut jurisdictionis in eo requisitæ &c.

Q. 10. *An ad integritatem confessionis possit aut debeat nominari complex?*

Complex dicitur socius in culpâ, sive qui culpam simul cum pœnitente commisit. Quæritur an quando species peccati exprimi non potest quin exprimatur persona complicis, debeat illa expri-

mi quamvis sit nota confessario, & consequenter per talem confessionem apud illum infametur. v. g. aliquis sororem suam, quam habet unicã carnaliter cognovit, an possit, aut teneatur dicere commisi incestum cum sorore, an verò sufficiat dicere cõmisi incestum, vel fornicatus sum?

Certum est complicem non esse declarandum;

1. si ex tali declaratione grave aliquod malum illi immineat confessioni extrinsecum, juxtà dicta q. 8. n. 6. sup.

2. Si peccatum, de cujus confessione agitur, non sit materia necessaria confessionis, vel quia est tantùm veniale ex parte pœnitentis, eo quod v. g. illi defuerit plenus cõsensus &c. vel quia crimen illud aliquando ritè confessus est alicui sacerdoti ignoto, & nunc pœnitens vult generaliter confiteri, tunc enim potiùs omittendum est peccatũ istud, quàm nominãda persona complicis.

3. Si pœnitens sine suo gravi incommodo possit confessionem differre, aut confiteri sacerdoti cui ignotus sit complex.

Quæstio igitur est quando alterum ex duobus est necessarium, aut tacere peccatum, seu aliquam ejus speciem, aut cum infamiâ complicis confessioni intrinsecâ illum nominare, quid agendum sit pœnitenti rationabiliter volenti nunc confiteri.

R. Speculative, loquẽdo videtur probabilius pœnitentem eo casu teneri declarare sui peccati speciem, etiam nominato complice. S. Th. opusc. 12. q. 6. & in 4. dist. 16. q. 3. Bonavent.. Alensis, & alii quos supra viginti citat & sequitur Suares disp. 34. sect. 2. n. 5. & 12. Item Vasq. Coninck, Layman, Filiuc. Bonac. Malder. Lugo, Amicus, & alii magis communiter contra Armillam, Navar. Wigers, Valent. Bannez. Præpos. & alios apud illum.

Prob. 1. Quia revelatio complicis coram Iudice in foro externo, quatenùs opus est ad finem Judicii, non est detractio formalis, sed materialis tantùm, & licita; ergo hîc similiter, imò à fortiori cum longè minor infamia inferatur complici in hoc tribunali ex suâ institutione secretissimo, quàm in foro externo.

Prob. 2. Quia ex eo quod Christus sine ullâ limitatione absolutè & simpliciter præcepit confessionem peccatorum secundùm totam gravitatem suam specificam, censendus est eam præcepisse cum omni incommodo quod illi intrinsecum & per se connexum est. Atqui tali confessioni non minùs intrinseca, & per se cōjuncta est aliqualis illa infamatio complicis, quàm infamatio ipsius pœnitentis, quam tamen hîc subire debet ad integritatem confessionis: ergo &c.

Dices: Inde sequeretur posse etiam in confessione nominari eum, qui solùm est objectū peccati confitentis, etiamsi hoc redundet in gravem ejus infamiam. v. g. si quis sororem virginem per vim deflorasset, si occidisset matrem gravidam ex illegitimo thoro unà cum prole quam gestabat utero &c.

R. Suar. disp. 34. sect. 2. n. 14. & alii communiùs negant sequelam, & dicunt complicem potiùs debere exprimi, quàm eum, qui tantùm est objectum, quia complex peccando cum alio censetur cedere jure suo, & indirectè se subjicere huic judicio. Sotus tamen in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad 4. Lugo, disp. 16. n. 420. & alii apud illum admittunt sequelam, quia non ideò complex nominari potest, quia cedit jure suo (fieri enim potest ut ipse sit infidelis, qui nihil unquam audiverit de tali obligatione, aut institutione hujus Sacramenti) sed quia suppositâ institutione pœnitens habet jus, immò obligationem crimen suum inte-

grè confitendi. Utrique probabiliter.

Cæterùm opposita sententia est etiam probabilis, tum ab authoritate, tum à ratione, juxta quam pœnitens in praxi potest complicem tacere, adeòque & ipsam peccati speciem, si aliter exprimi non possit, quàm eo declarato. Supple, si sine illius notabili infamiâ declarari non possit. Quando autem peccati species sufficienter explicari potest, non nominato complice, omninò reticendus est. De quo sæpè monendi sunt à confessariis pœnitentes, qui criminis sui socios nominant absque necessitate.

Nota pœnitentem interdum teneri revelare cōplicem, quamvis possit aliter peccati sui speciem confiteri, v. g. ad avertendum aliquod grave dānum, aut scandalum imminens alteri, vel alicui communitati, cui specialiter adhibendum remedium, si per confessarium, aut quempiam alium complex moneatur, quo casu cum confessarius eâdem obligatione teneatur tacere peccatum complicis, quâ peccatum pœnitentis, debet à penitente obtinere licentiam utendi cognitione peccati complicis ad illum monendum, vel potiùs illum hortari, ut extra confessionem peccatum complicis aperiat, ut dicere possit complici se ejus peccati notitiam extra confessionem accepisse.



CAPUT V.

De absolutione ut est forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Q. 1. *Quænam sit forma absolutionis sacramentalis?*

R. Forma absolutionis tradita in rituali romano, prout complectitur tam antecedentia quā consequentia formam necessariam, est hæc: *misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, amen. Indulgentiam absolutionem & remissionem peccatorum, tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus, Amen,* hæc pars est deprecatoria, & omitti potest sine peccato, quamvis laudabiliter usurpetur, quando non est nimia copia pœnitentium.

Deinde: *Dominus noster Iesus Christus, te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo, ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum & tu indiges,* si pœnitens sit laïcus, omittitur ly *suspensionis* cujus est incapax.

Hæc verba quamvis non sint necessaria erga pœnitentes non habentes censuram, expedit tamē ea ordinariè præmitti absolutioni à peccatis, ne fortè pœnitens occultam aliquam censuram incurrerit.

Deinde: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti. amen.* His verbis communiter datur absolutio sacramentalis, nec possunt omitti sicut cætera.

An autem sint omnia essentialia dicetur statim. Consequentia autem absolutionem quæ subjun-

git idem rituale sunt : *Passio Domini nostri Iesu-Christi , merita Beatæ Virginis , & omnium Sanctorum , quidquid boni feceris , & mali sustinueris , sit tibi in remedium peccatorum , augmentum gratiæ , & præmium vitæ æternæ, amen* , & hæc etiam laudabiliter , dum vacat , non tamen ex præcepto usurpanda.

Q. 2. *Quæ præcisè verba sint de essentiâ absolutionis* ?

R. Hæc aut æquivalentia : *absolvo te* , S. Tho. Cajet. Suarez, & alii communiter. Alia tamen nempe *à peccatis tuis* &c. sine peccato omitti non possunt , vel veniali secundùm Præpos. vel etiam quo ad hæc verba : *à peccatis tuis* , mortali secundùm Tolet. & alios quia (inquit Suar.) non est improbabile ea etiam esse de essentiâ.

Ly *Ego* secundùm omnes non est necessarium. Invocatio Trinitatis non est de essentiâ : imò probabile est posse omitti sine peccato , etiam veniali. Quare cum Florent. & Trid. assignando pro formâ hæc verba: *Ego te absolvo* , addunt ly *& cætera* , tantùm indicant aliqua alia subjungi formæ , quamvis ea non sint strictè essentialia.

Q. 3. *An forma absolutionis sit deprecatoria* ?

R. ea quidem quæ antecedunt & quæ subsequuntur, esse deprecatoria ,sed formâ quâ pœnitens absolvitur tum à censuris , tum à peccatis non posse esse deprecatoriam. S. Th. & alii quos referunt & sequuntur Suar Vasq. &c. ratio est quia absolutio est actus judicialis ex Trid. sess 14. c. 5. qui fieri non debet deprecando , sed ex authoritate sibi traditâ,conferendo absolutionem.

Et verò Christus non dixit : quorum remitti petieritis peccata, sed quorum remiseritis &c. hinc forma hæc Græcorum : *Domine IESV , qui dedisti nobis potestatem , absolve hunc à peccatis* , non est sufficiens , nisi ex circumstantiis ita determine-

tur, ut reipsâ non sit deprecativa, sed imperativè & practicè applicativa potestatis remittendi peccata.

Etverò Græci peritiores, teste Arcudio l. 4. c. 3. aliam adhibent nostræ æquivalentem, nempè hanc: *habeo te absolutum*, seu *veniâ donatum*. Cæterum quidquid sit de schismaticorum usu, Clemens 8. in instructione super quibusdam Græcorum ritibus datâ anno 1595. præcepit ut uterentur formâ absolutionis traditâ à Florentino, & deinde si vellent adhiberent deprecativam.

Q. 4. *Quis sit sensus verborum formæ absolutionis?*

S. Th. q. 84. art. 3. ad 5. vult hunc esse sensum *ego Sacramentum absolutionis tibi impendo*. Suares, & multi recentiores volunt esse hunc: *Ego tibi confero gratiam quantum est de se peccati remissivam*. Verùm uterque hic explicandi modus, quamvis bonus & commodus, nonnihil recedit à naturali significatione verborũ. Itaque

R. Sensum esse eum quem verba ex communi hominum institutione important: scilicet *ego tibi remitto peccata tua*, idest, Ego nomine Dei cedo jure aversionis quod Deus habuit propter peccata tua, Ita Lugo disp. 13. n. 73. Hurtado disp. 5. difficul. 8. & alii.

Prob. quia Christus instituens formas Sacramentorum non mutavit earum significationem naturalem ex impositione hominum, sed eâ suppositâ illas elevavit simul cum materiâ ad esse Sacramenti, & gratiam practicè significandam, ut patet in formis aliorum Sacramentorum, *Ego te baptizo, signo te signo crucis & confirmo te. &c.*

Dices: admissâ istâ explicatione, forma absolutionis esset falsa & nugatoria, quando, ut sæpe fit, non subjiciuntur nisi peccata priùs remissa. Sicut si alicui vinculis corporis jam soluto diceretur: *solvo te vinculis tuis*

R. Nego assump. qui enim postquam offensam semel condonavit, iterum veniam rogatus dicit: *tibi condono*: nec falsum dicit, nec nugatur, sed ponit actum, quo novo titulo obligatur ad non utendum jure quod aliquando habuit ad aversionem propter istam offensam, sicut qui semel se obligavit ad aliquid per promissionem, votum juramentum &c. potest iterum & sæpiùs idem seriò promittere, vovere, jurare, &c. & sic iterum ad idem se obligare.

Aliud est de solutione vinculi corporei, quæ importat actionem externam, quæ versatur necessariò circa objectum externum jam præsens, & adhuc existens; absolutio verò à peccatis importat solùm actum internum voluntatis, quo Sacerdos cedit jure quod Deus habuit ad aversionem, abstrahendo an jus illud adhuc existat, vel extinctum sit; ejusmodi autem actus interni voluntatis centies circa idem objectum repeti possunt.

Addit Coninck non improbabiliter quantumvis remissum sit peccatum quo ad culpam, pœnam, & obligationem confitendi, semper in hâc vitâ remanere ex illo quandam moralem obligationem consistentem in hoc, quod qui peccavit, semper maneat minùs dignus Dei beneficiis, quàm si nunquam peccavisset, & quo ad hanc indignitatem peccatum semper magis ac magis remitti posse, non minuendo illam indignitatem secundùm se, sed per dationem novæ gratiæ, quâ subjectum reddatur dignius, quàm antè. Iuxta hanc sententiam, facile erit solvere argumenta in contrarium.



CAPUT VI.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

SOlus Sacerdos est minister hujus Sacramenti. Requiruntur tamen in eo certæ conditiones, tum ut licitè, tum ut validè istud administret, scilicet scientia, prudentia, approbatio, jurisdictio.

§. I.

De Scientia et Prudentia Confessarii.

Q. I. *Quæ scientia requiratur in Confessario?*

R. Ad valorem Sacramenti non requiritur in confessario legitimè approbato alia scientia quàm ut cognoscat ea quæ pœnitens confitetur esse peccata. Henriq. Suar. Præpos. Lugo, Silvius &c. contra Cajet. Vasq. &c.

Prob Quia eo casu nihil deest cæterorum ad Sacramenti essentiam requisitorum, ut supponitur, neque ad valorem, opus est hîc & nunc distinguere, an hoc peccatum sit mortale, vel veniale, an talis vel talis speciei &c. ergo. Si tamen pœnitens ex destinato ignarum confessarium adeat, ne sua peccata integrè cognoscat, irrita erit confessio defectu dispositionis in pœnitente.

Dices: Confessarius cum tali ignorantiâ non est legitimè approbatus.

R. N. assump. suppono enim esse approbatum ab eo qui potestatem habet approbandi, quamvis enim inidoneus sit ad audiendas confessiones, non est tamen absolutè incapax approbationis, quæ non est aliud quàm authenticum testimo-

nium Episcopi de sufficientiâ seu idoneitate, non quæ reverà est in approbato, sed quæ esse deberet sivè interim de facto sit, sivè non. Et verò nisi id dicatur, innumeræ essent anxietates de valore suarum confessionum cùm multi reperiantur indocti confessarii.

Q. 2. *Quæ scientia requiratur ut quis licitè confessiones audiat?*

R. Non posse præcisè determinari quanta esse debeat scientia cum varia requiratur pro varietate locorum & pœnitentium. Major enim scientia requiritur pro urbe aliquâ mercatoriâ, aulicâ, &c. quàm pro pago, major pro audiendis viris, judicibus, aliisque habentibus casus magis implexos, quàm pro fœmellis, pueris, &c.

Hanc saltem scientiam passim requirunt DD. ut quis audiendis confessionibus licitè se exponat.

1. Ut possit aliquo modo discernere inter venialia & mortalia, saltèm graviora, & inter illorum species, saltem communiores.

2. Ut sciat casus reservatos à quibus non possit absolvere.

3. Ut sciat obligationes communes restituendi, impedimenta matrimonii, dispositionem in pœnitente necessariam ad hoc Sacramentum, excommunicationes, saltem communiores peccatis annexas &c. non est tamen necessarium ut tantam habeat istorum notitiam ut possit semper ex tempore, & per seipsum occurrentes dubitationes solvere, aut actu judicare hîc & nunc hoc esse, vel non esse mortale; sed sufficit quòd id possit in communiter accidentibus, in aliis autem saltèm noverit dubitare, ut alios peritiores consulat.

Q. *Qualis esse debeat prudentia Confessarii?*

R. De eâ sic dicitur capit. omnis utriusque sexûs de pœnit. & remiss. *Sacerdos sit mansuetus & cautus ut more periti Medici superfundat vi-*

num & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens peccatoris circumstantias & peccati, quibus prudenter intellectis, intelligat quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum. Gobat casu 7 de Sacram. tract. 7. n. 305. partes prudentiæ confessarii necessariæ reducit ad hæc 8. capita.

1. Ut dum ipsemet medetur, non vulneret seipsum, quod maximè curandum est in excipiendis confessionibus peccatorum obscœnorum.

2. Per dexteritatem examinandi perducat pœnitentem ad enumerationem omnium criminum.

3. Excitet in eo veram detestationem vitæ malè transactæ, atque serium propositum corrigendæ.

4. Præscribat remedia vitiis emendandis opportuna consideratâ sui pœnitentis conditione.

5. Doceat quidem, nonnisi necessaria, vel valde utilia hîc & nunc.

6. Dispiciat sit ne absolutio danda, an neganda, aut differenda.

7. Injungat pœnitentiam verè salutarem.

8. Habeat in promptu nonnulla exempla & documenta peculiaria. Vide apud eundem varias regulas & documenta, quibus dirigi possit prudens confessarius. Item industrias quibus juvari possit ad ministerium suum ritè peragendum. Ibid. an. 322. usque ad n. 339.

§. II.

DE APPROBATIONE IN CONFESSARIO REQUISITA.

Approbatio de quâ hîc, est authenticum Episcopi testimonium de idoneitate Sacerdotis ad audiendas confessiones, accedente jurisdictione, de quâ §. sequenti.

Q. 1. *An talis approbatio necessaria sit in unoquoque confessario ad valorem Sacramenti?*

R. De hoc ita statuisse Trid. Sess. 23. c. 15. de reform. *decernit sancta Synodus nullum regularem posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessariũ, aut aliàs idoneus judicetur & approbationẽ, quæ gratis detur, obtineat* &c. ex his.

Coll. 1. Ubi Trid. saltem quod ad hoc est receptum, approbationem esse necessariam ut absolutio à mortalibus validè conferatur.

Col. 2. Nihil eo decreto innovatũ esse quo ad cõfessiones regularium, etiam monialium, & consequenter dictam approbationem vi istius decreti non requiri ad audiendas eorum confessiones.

Dico *vi istius decreti*, quia exstat constitutio Greg. XV. data anno 1622. quæ incipit, *inscrutabili Dei providentiâ*, cum adjunctâ explicatione ab eodem Pontifice approbatâ, quæ requirit Episcopi approbationem, etiam ad audiendas confessiones monialium, quæ aliàs ibidem responsione ad dub. 8. declarantur nullæ. Quæ constitutio haud dubiè obligat ubi recepta est.

Col. 3. Ejusmodi speciali approbatione nõ egere qui actu habent beneficium parochiale, id est cui annexa est cura animarum in sæculares; quale habent Archiepiscopi, Episcopi, & Archidiaconi, quibus competit animarum cura. Item Abbates quidam exempti habentes jurisdictionem quasi episcopalem, non tamen Prælati regulares qui curam animarum habent in solos Religiosos sibi subditos, ut sunt Guardiani, Priores, Rectores &c. qui proinde etiam egent episcopali approbatione, ut possint audire sæculares, quidquid aliqui non satis probabiliter doceant apud Dianam. p. 2. tr. 2. miscel. resol. 46.

Quòd si, qui habuit beneficium parochiale eo jam spoliatus sit debet iterùm approbari, quia Trid. eum tantùm excipit, qui actu beneficium istud obtinet. Suar. Lugo &c. intellige nisi non solùm à jure, sed etiam ab Episcopo fuerit aliquando approbatus. Nonnulli tamen apud Barbosam in dictum locum Trid. n. 22. putant esse probabile Sacerdotem dimisso beneficio parochiali, adhuc censeri approbatum.

Nota eos qui habent beneficium parochiale, non posse sibi eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo. Nam ab Alex. VII. damnata est hæc propositio : *Qui Beneficium curatum habent possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab ordinario.*

Coll. 4. Cæteros omnes qui tale beneficium non habent generaliter sine exceptione debere approbari pro confessionibus sæcularium adeoque etiam Doctores & Professores Theologiæ aut juris, qui etiam subesse debent examini, si ita velit Episcopus.

Q. 2. *Quinam intelligantur nomine Episcoporum quorum requiritur approbatio?*

R. Cùm approbatio non sit actus ordinis sed jurisdictionis, non tantùm intelliguntur Episcopi consecrati, sed etiam electi & confirmati simul, qui approbare possunt vel per se vel per suum Vicarium generalem, aut alium cui id demandare voluerint, item intelligitur capitulum sede vacante, Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem &c.

Q. 3. *Cujusnam Episcopi requiratur approbatio?*

R. Regulariter requiritur approbatio data ab Episcopo loci in quo fit confessio.

Dico *regulariter*, quia ut notat Lugo, si civis Romanus existens Tusculi, inveniat ibi Confessarium Romæ approbatum poterit ibi ei confiteri,

ſicut quilibet confiteri poteſt ſuo Epiſcopo etiam extra ejus Diœceſim.

Supple niſi Confeſſarius ille Tuſculi fixerit domicilium, & ita deſierit eſſe ſubditus in Diœceſi Romanâ.

Non eſt neceſſaria, nec ſufficit approbatio Epiſcopi pœnitentis. Non primum, quia alioqui approbatus ab Epiſcopo Atrebatenſi non poſſet audire confeſſiones accedentium ex Diœceſi Tornacenſi. Non ſecundum quia alioqui approbatus ab uno Epiſcopo v. g. Tornacenſi, poſſet ubique terrarum v. g. Atrebati, Cameraci &c. ubi domicilium fixiſſet, audire quoſcumque Tornacenſes, abſque approbatione Epiſcopi Atrebatenſis, Cameracenſis, &c. vide Lugo de pœnit. diſp. 21. ſect. 2.

Q. 4. *An approbatus abſolutè ab uno Epiſcopo cenſeatur approbatus pro omni loco?*

R. Non eſſe approbatum pro omni loco, ſed ſolùm pro Diœceſi Epiſcopi à quo eſt approbatus, juxta jam dicta.

Prob. Ex praxi Eccleſiæ fundatâ in Trid. non dicente *niſi ab Epiſcopo ſit approbatus*, ſed *niſi ab Epiſcopis*: nempe à ſingulis, ſeu ſingulorum locorum Epiſcopis. Qui tamen à jure vi collationis beneficii parochialis approbatus eſt, cenſetur ubique approbatus, adeoque poteſt, accedente juriſdictione, ubique confeſſiones audire, ut patet ex praxi quotidianâ.

Nota expreſſo privilegio hominibus noſtræ Societatis conceſſum eſſe per Bullam Greg. XIII. quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem*, datam 3. Maii 1575. ut ab aliquo ordinario ſemel approbati, poſſint terrâ marique iter facientes ubique fidelium confeſſiones audire. In locis autem ubi ordinarii exiſtunt, non niſi de eorum licentiâ.

Q. 5. *An semel absolutè approbatus censeatur approbatus pro semper?*

R. Affirm. quamdiu scilicet non revocatur aut suspenditur. Iurisdictio tamen, quamvis absolutè concessa, etiam absque justâ causâ potest validè revocari Potest approbatio ex justâ causâ revocari v. g. si Confessarius in decursu temporis deprehendatur inidoneus, sive ex parte scientiæ, sive ex parte morum. Potest etiam Episcopus revocare ad examen regulares à suo prædecessore approbatos; imò & à se approbatos, si de eorum capacitate rationabilem habeat dubitandi rationem. Quamvis aliqui quoad hoc opponant constitutionem Pii V. concessam regularibus anno 1571. quæ incipit *Rom. Pontifex.* Vide Fran. bonæ spei disp. 11, n. 58.


Q. 6. *An possit approbatio limitari?*

R Posse quoad tempus, quoad personas, quoad locum. v. g. ad annum, pro viris & non mulieribus, pro pagis, & non pro urbibus &c.

Q 7. *An regularis cui injustè ab Episcopo denegata est approbatio, censeri possit approbatus à Pontifice?*

Ita quidem docuerunt Navarrus, & alii plures apud Dianam p. 3. tract. 2. res. 24. verùm.

R. Negat. & patet ex hâc propositione damnatâ ab Alexandro VII. *satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*



§ III.

De Jurisdictione requisita ad audiendas Confessiones

JUrisdictio in genere est potestas ferendi sententiam in subditos. Unde jurisdictio, prout hîc sumitur, est potestas ferendi sententiam, seu ligandi & solvendi in tribunali pœnitentiæ sacramentalis.

Differt ab approbatione, quòd hæc sit merum Episcopi testimonium de alicujus idoneïtate ad accipiendam & exercendam potestatem jurisdictionis.

Et verò non semper ab eodem accipitur jurisdictio, & approbatio; nam privilegiati, v. g. Regulares exempti, approbationem quidem accipiunt ab Episcopis, jurisdictionem verò à Pontifice, vel immediatè, vel mediantibus suis superioribus, vi suorum privilegiorum.

Iurisdictio alia est ordinaria, alia delegata: *Ordinaria* est quæ alicui competit ipso jure ratione officii habentis annexam curam animarum. *Delegata* est quæ alicui conceditur ab eo qui habet ordinariam, seu jus delegandi.

Q. 1. *Quinam habeant jurisdictionem ordinariam, & in quos?*

R. 1. Summus Pontifex in omnes fideles.

2. Legati à latere, & Nuncii Apostolici in populos suæ legationis, aut nuntiaturæ.

3. Archiepiscopi in subditos suorum suffraganeorum, dum eorum diœceses visitant, non aliter.

4. Episcopi per suam diœcesim, & Vicarii eorum generales sede vacante. Item Abbates habentes jurisdictionem quasi episcopalem.

5. Generales Ordinum respectu totius Ordinis;

Provinciales in suâ Provinciâ, & Superiores locales, ut Priores, Guardiani, Rectores &c. in suos subditos.

6. Parochi in suos parochianos, Item Vicarius eorum, seu perpetuus, seu temporalis. Item Decanus Canonicorũ,& Capitulum in quibusdã locis.

Q. 2. *Quinam habeant jurisdictionem delegatam?*

R. Delegatam habet quilibet Sacerdos approbatus, cui ea legitimè concessa est ab habente ordinariam: possunt enim habentes ordinariam, eam alteri delegare. Talem ex privilegio habent à Pontifice Religiosi mendicantes (quibus comprehenduntur Religiosi Societatis JESU) suppositâ Episcoporum approbatione in omnes Fideles, nempe sæculares.

Quod addo, quia licet Pontifex jurisdictionem illis concesserit in omnes fideles, non tamen per hoc intendit derogare constitutionibus Religionum habentium privilegium, ne sui alienis Sacerdotibus confiteantur absque facultate suorum Superiorum.

Hinc cùm Religiosi à Conventibus, aut Monasteriis suis absunt, seu negotiorum, seu studiorum causâ, intelligere debent à suis Superioribus vel ex Religionis statutis, aut receptâ consuetudine, quibus possint, aut debeant confiteri. Quòd si nec Superior, nec Religio quoad hoc quidquã statuat, censetur permittere ut pro libitu confessarium eligant, seu sæcularem, seu Regularem.

Circa hæc observanda sunt sequentia. 1. Eos qui habent jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam, posse sibi subditos absolvere; etiam extra porprium territorium: quia nempe hoc judicium exercetur sine strepitu: jura autem quæ prohibent extra proprium territorium exercere judicia, intelligi debent de judiciis contentiosis.

2. Eum qui tantùm habet jurisdictionem dele-

gatam, non posse eam ulteriùs subdelegare, nisi hoc specialiter ei concessum sit, quo tamen casu, non suo, sed delegantis nomine censetur subdelegare.

3. Ordinarium superiorem posse delegare jurisdictionem alicui invitis ordinariis inferioribus: v. g. Papam invitis Episcopis, Episcopos invitis Parochis, &c. non contra.

Q. 3. *Quomodo acquiratur jurisdictio delegata?*

R. Acquiri posse 1. vel ab homine per expressam, aut tacitam concessionem; vel à jure, qualiter in mortis articulo quilibet Sacerdos potest quemlibet à quibuslibet peccatis absolvere, vel à consuetudine, quando ea inducta est superiore conscio, nec, cum facilè possit, contradicente.

2. Delegatio fieri potest directè, ut cum ab habente ordinariam dicitur: *do tibi jurisdictionem* &c. & indirectè, ut cum superior subdito concedit facultatem eligendi confessarium, hoc ipso enim datur in illum jurisdictio ei, quem elegerit.

Q. 4. *An ad acquirendam jurisdictionem delegatam sufficiat præsumpta voluntas delegantis?*

R. Si voluntas præsumpta delegantis sit merè conditionata, quatenus judico quòd si sciret superior, vel si ab eo peteretur facultas, eam concederet, non sufficit, quia jurisdictio debet esse data absolutè: si verò in delegante voluntas præsumpta sit quidem existens absolutè, sed non sufficienter declarata, distinguendum est: nam si sit merè interna, & nullo signo externo manifestata, non sufficit, quia jurisdictio humano modo non datur nisi per signa humana, idest sensibilia. At si volũtas præsumpta manifestata sit aliquo signo externo, licèt non omninò explicito, sufficiet quidem, sed modus iste tacitæ delegationis, quia sæpè dubius & periculosus, non est facilè in praxim deducendus.

Q. 5. *An sufficiat jurisdictio sub ratihabitione futurâ?*

R. Cum communi non sufficere quamvis non-nulli apud Suar. disp. 26. sect. 1. aliter sentiant. Ratio est, quia ad valorem Sacramenti requiritur jurisdictio præsens, neque obstat regula juris 10. in 6. *retrohabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*: id enim solùm habet locum in actibus, quorum valor in futurum suspendi potest: valor autem absolutionis præsentis suspendi non potest, seu pendere ab actione de futuro.

Q. 6. *An sufficiat jurisdictio petita, sed non obtenta?*

R. Certũ est non sufficere si sit rationabiliter denegata, imó etiam non sufficit quamvis sit injustè denegata.

Prob. 1. ex capit. *Vtriusque sexûs*. His verbis: *Si quis alieno Sacerdoti voluerit justâ de causâ confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat, cùm aliter ipse illum non possit absolvere.*

Prob. 2. ex constit. Alex. VII. damnantis hanc propositionem: *satisfacit præcepto confessionis annuæ, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.*

Q. 7. *An sufficiat jurisdictio putativa, seu quam Sacerdos communiter putatur habere, & reipsâ non habet?*

R. Si talis Sacerdos habeat titulũ coloratũ, ob quẽ errore cõmuni creditur habere reipsà jurisdictionẽ, validè absolvit. Est cõmunis. Ratio est quia talis licèt verè non habeat jurisdictionem à suo Superiore permanenter & velut habitualẽ, tamen censendus est eam habere transeũter, & velut actualẽ pro singulis actibus, Ecclesiâ defectum supplente, & authoritatem illi tribuente ad singulos actus.

Dixi: *si habeat titulum coloratum*. Titulus autem coloratus dicitur collatio beneficii habentis annexam jurisdictionem: vel delegatio jurisdictionis, sed invalida propter defectum aliquem occultum v. g. simoniacam promotionem &c. vel si collatio, aut delegatio valida quidem fuerit, sed postea

ob occultum impedimentum v. g. excommunicationem sublata sit.

Dixi 2. *errore communi*, quia si errore unius alteriusve putaretur habere jurisdictionem, quam reliqui scirent non esse validam, non esset valida absolutio, quia commune bonum non exigit ut Ecclesia prospiciat quibusvis casibus privatæ singulorum ignorantiæ.

Q. 8. *Quid si jurisdictio sit tantùm probabilis, an sufficiat ad licitè absolvendum, aut validè, si fortè sit falsa.*

R. 1. Non sufficit ad licitè absolvendum Salas. 1. 2. q. 21. Oviedo 1. 2. tr 5. cont. 3. punct. 4. Cardin. Pallavicinus 1. 2. disp. 9. q. 4. a. 4. & alii.

Prob. 1. quia in administratione Sacramentorum non licet adhibere materiam aut formam tantùm probabilem, relictâ certâ & tutiore, ut docent communiter nostri Theologi post Suarem, Vasquez, Filliucium, Layman, Salas, Martinon. &c. quæ doctrina postmodum confirmata est, decreto Innoc. XI. quo damnata est hæc propositio inter 65. prima. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis, sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi.* At in administratione Sacramenti Pœnitentiæ, tam requiritur jurisdictio in ministro ad valorem Sacramenti, quam materia & forma: igitur cùm non liceat adhibere materiam & formam tantum probabilem & incertam, neque licebit absolvere cum jurisdictione tantum probabili & incertâ. Nam propositio damnata, ut jacet, intelligenda est de omnibus ad valorem Sacramenti requisitis.

Prob. 2. Quia rationes omnes, quas afferunt Theologi, ut probent non licere uti materiâ & formâ tantùm probabili in administratione Sacra-

mentorum, valent etiam pro jurisdictione in Sacramento Pœnitentiæ. Nam exponeretur Sacramentum periculo nullitatis, quod est contra Religionem; & proximum periculo non consequendi effectum Sacramenti, seu remissionem peccatorum & collationem gratiæ sanctificantis, quod est contra charitatem.

Hinc collige eum, qui extra casum necessitatis, de quo hic loquimur, pœnitentem absolveret cum jurisdictione tantùm probabili, peccaturum mortaliter, quia peccaret in materiâ gravi.

R. 2. Iurisdictio tantum probabilis non sufficit ad validè absolvendum ex hypothesi quòd sit falsa.

Prob. Quia si adhibeatur materia & forma tantum probabilis, & ea de facto non sit à Christo instituta, nullum erit Sacramentum, ut patet. Pari igitur ratione Confessarius, qui habet jurisdictionem tantùm probabilem, si hæc de facto nulla sit, invalidè absolvit.

Dices. Discrimen esse, quod Ecclesia, quæ confert jurisdictionem Sacerdoti, possit illam supplere in aliquo casu, licèt non possit supplere materiam & formam à Christo institutam.

R. Licet certum sit quod possit supplere, tamen tantum probabile est quod de facto suppleat: & sic manet paritas.

Q. 9. *Quid agere debeat Confessarius dubitans dubio propriè dicto de suâ jurisdictione?*

R. Cum distinctione: nam si dubitat an habeat jurisdictionem in ullum pœnitentis peccatum, non potest eũ absolvere: si verò tantùm dubitet de aliquibus, in casu necessitatis, illum adsolvat, & simul moneat ut postea rursùm alteri confiteatur habenti certam jurisdictionẽ in omnia, confiteatur, inquam, illa, de quibus dubia erat jurisdictio; nam ad id tenetur pœnitens, nisi tollatur dubium, & constet

confessarium verè habuisse jurisdictionem etiam in illa, de quibus dubitaverat.

Q. 10. *An requiratur jurisdictio, aut approbatio pro peccatis venialibus* ?

R. Communem hactenùs fuisse sententiam posse quemlibet Sacerdotem absolvere à venialibus, neque ad hoc requiri Episcopi approbationem, adeoque nec specialem jurisdictionem.

Verùm nunc extat decretum Innocentii XI. datum anno 1679. quod incipit : *cùm ad aures*, quo Pontifex injungit Episcopis *ne permittant ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo aut ordinario.* Quibus verbis, ut patet, non vetatur ne venialium confessio fiat Sacerdoti approbato ab Episcopo, etsi non habenti jurisdictionem in mortalia.

Q. 11. *An necessaria sit jurisdictio aut approbatio ad absolvendum in articulo mortis* ?

R. In defectum Sacerdotis habentis jurisdictionem aut approbationem, potest quilibet Sacerdos in eo articulo licitè & validè absolvere juxta illud Trid. sess. 14. c. 7. *piè admodùm, ne hâc occasione reservatorum casuum aliquis pereat in Ecclesiâ Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio casuum in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.*

Porrò per articulum mortis non solùm intelligi debet imminentia certæ mortis ut volunt Sotus; Canus & alii apud Dianam p. 3. tr. 4. ref. 71. sed etiam quodlibet probabile mortis periculum, ut est instans conflictus, navigatio periculosa, primus mulieris partus, aut etiam sequentes, si soleat habere periculosos. Vasq. Sylvest. Navarrus, Sanchez. Et alii communiùs.

Dixi *in defectum habentis jurisdictionem &c.* quia quantùm commodè fieri potest etiam in eo articu-

lo, si plures Sacerdotes sint præsentes, præferendus est habens jurisdictionem non impeditam carenti tali jurisdictione. Item approbatus præferendus est non approbato, hic, nominatim excommunicato, excommunicatus hæretico &c.

Sic tamen, quod notat Lugo, ut non nimis scrupulosè spectetur hic ordo, neque enim illius defectu videtur invalidari absolutio, multominùs si jam inchoata sit confessio, ab eâ desistendum est superveniente altero, qui præferendus esset.

§. IV.

De Reservatione Casuum.

Casuum, seu peccatorum reservatio, est subs-tractio jurisdictionis in ordine ad absolvendum à certis peccatis, salvâ potestate absolvendi ab aliis.

Q. 1. *Quanam peccata reservari possint?*

R. Sola mortalia nondum legitimè confessa propriè reservari possunt, nam sola illa sunt materia necessaria Sacramenti pœnitentiæ.

Dixi *propriè*, quia licet possit Pontifex adimere jurisdictionem respectu venialium &c. hæc tamen non est propriè dicta reservatio, cum ea non sint materia necessaria confessionis, & eorum remissio possit aliis modis obtineri.

Q. 2. *An possint reservari peccata merè interna?*

R. Id à quibusdam negari, eo quod Ecclesia, non possit prohibere, aut punire actus merè internos: verùm nulla est consequentia, cum reservare peccata non sit ea punire, sed substrahere jurisdictionem, seu potestatem in illa. Itaque in rigore possunt ea reservari, de facto tamen nulla censentur reservari, sed ea solùm, quæ in actum externum prodeunt.

Unde qui solùm interiùs incidit in hæresim, non incidit in casum reservatum. Ex quo ulteriùs

deducitur, si actus externus quoad externas circumstantias non sit mortalis, sed solùm ratione interni affectûs, à quo procedit, non esse reservatum, v. g. si omne peccatum luxuriæ esset reservatum, qui vanè se ornaret, vel puellam leviter in manu tãgeret affectu libidinoso, non esset casus reservatus. Suar. Lug. Henriq. & alii passim. Item si reservetur fornicatio, voluntas interna fornicandi, etiam adhibito externo conatu, non est reservata.

Q. 3. *An peccata dubia censeantur reservata?*

R. Etsi ea ut talia reservari possint, non tamen censentur reservari quando simpliciter peccata reservantur.

Hinc qui admisit peccatum ex suo genere reservatum, sed rationabiliter dubitat an cum advertentiâ, vel deliberatione sufficienti ad mortale, nõ debet censeri incidisse in reservatũ, quia nempe reservatio, cum sit odiosa, non debet extẽdi ad materiam dubiam. Suar. Lugo, Hurtado, Henriq. &c. addit Lugo disp. 20. n. 20. si post absolutionem peccati dubii certò constet fuisse mortale, & reservatum, non esse superiori aperiendum, sed sublatam esse reservationem.

Q. 4. *Quinam de facto sint casus reservati?*

R. Alii sunt papales, quibus insuper annexa est excommunicatio Pontifici reservata; ut sunt casus Bullæ Cænæ, & alii de quibus in tractatu de Censuris: alii Episcopales, qui teste Suar. jam nulli sunt juris communis, sed pendent ab Episcopi voluntate. Solent autem varii Episcopi reservare maleficium, injectionem manuum violentam in parentes, incendium factum ex proposito, homicidium voluntarium, sodomiam, bestialitatem, violationem monialis, incestum in 1. & 2. gradu. usuram publicam, & his similia pro quibus videnda cujusvis Diœcesis pastoralia.

Pro reservatis Regularium consuli debent cu-

jusque religionis statuta. Hoc generaliter observandum potestatem reservandi casus competere soli Præposito, aut Capitulo generali, respectu totius Ordinis; Provincialibus aut Capitulo Provinciali respectu totius Provinciæ; superioribus verò localibus respectu domûs cui præsunt.

Hi autem per Bullam Clementis 8. potestatem reservandi restrictam habent ad undecim casus, non quòd sint omnes in omni Religione de facto reservati, sed quòd præter illos non possint Superiores alios reservare.

Sunt autem hi 1. Veneficia, incantationes, sortilegia, &c.

2. Apostasia à Religione quovis modo.

3. Nocturna egressio extra Monasterium, etiam animo non apostatandi.

4. Proprietas mortalis contra paupertatem.

5. Falsum juramentum in judicio.

6. Procuratio, auxilium, vel consilium ad abortum faciendum animato fœtu, licèt non sequatur effectus.

7. Falsificatio manûs aut sigilli officialium Monasterii.

8. Furtum mortale de rebus Monasterii.

9. lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

10. Occisio, vulneratio, seu gravis percussio cujusque personæ.

11. Malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, & contra.

Q. 5. *An reservatio etiam incurratur ab eo qui illam ignorat?*

R. Affirm: hinc si pœnitens ignarus reservationis peccatum reservatum cum aliis seu venialibus, seu mortalibus non reservatis confiteatur bonâ fide, obsolvetur quidem directè à non reservatis, sed tantûm indirectè à reservatis, adeoque obliga-

bitur pro illis se sistere superiori, ut ab illo aut alio directè absolvatur, sublatâ reservatione. Confessarius tamen graviter peccaret, si sciens talem absolveret; aliud est de censuris, quæ cùm sint pœnæ, probabiliter non incurruntur à nescientibus.

Q. 6. *Quinam possint absolvere à reservatis?*

R. 1. Ipse reservans. 2. Ejus superior. 3. Quicumque alius, qui ab alterutro illorum legitimam commissionem habuerit.

Q. 7. *An peregrinus habens casum reservatum in suâ Diœcesi existens in alienâ in quâ suus casus non est reservatus, possit absolvi per alium:*

R. Probabiliter posse, Cajetanus, Palud. Suar. Henriq. & alii, quos sequitur Lugo: modò tamen (ut communiter limitant Doctores) non se transtulerit in aliam Diœcesim in fraudem reservationis. Vide Bullam Clem. X. quæ incipit *superna.*

Q. 8. *An qui confessus est habenti jurisdictionem in reservata, sive ordinariam, sive delegatam, v. g. tempore jubilæi, si ex oblivione, vel justâ causâ omiserit confiteri reservata, eo ipso sit sublata reservatio, adeoque possit deinceps ab illis absolvi ab alio non habente jurisdictionem in reservata?*

R. Ita quidem censent non pauci. Gabriel, Angelus, Navarrus, Coninck, Lugo, &c. imò nonnulli putant id probabiliter esse verum quamvis confessio fuerit invalida, vel defectu doloris, vel etiam integritatis, modò tamen non omittantur reservata ex culpâ mortali. Suar. Sylvest. Lugo, &c.

Verùm quia id incertum est, præsertim si pœnitens non declaret se habere reservata, à quibus cupiat absolvi, ea sententia non videtur in praxi satis tuta, & ideò si postea memoriæ occurrat peccatum illud reservatum non confessum, recurrendum est ad superiorem, aut habentem jurisdictionem in illud.

Q. 9. *Quid si quis habenti jurisdictionem in re-*

servata vi jubilæi, confiteatur ex intentione lucrandi jubilæum, quod tamen postea non lucratur?

R. Nihilominùs manere absolutum à reservatis. Lugo, Suar. Vasq. Henriq. &c. quia potestas, quam habet Confessarius tempore jubilæi absolvendi à reservatis non pendet ab eo quod postea futurum est, sed exercetur in ipso confessionis exercitio.

Q. 10. *An superior pœnitenti, per se, vel per alium petenti facultatem ut per alium absolvi possit à reservato, teneatur concedere?*

R. Quamvis Superior hâc in re difficilis esse non debeat, & fieri possit ut in quibusdam circumstantiis graviter peccet eam negando absque gravi causâ, certum tamen est posse, & interdum teneri eam negare, præsertim si sit Superior Religiosus, ut si prudenter timeatur scandalum, aut grave damnum Communitatis, aut periculum ne ex nimiâ Superioris facilitate pœnitens in eadem recidat, aut laxetur Religiosa disciplina, &c.

Prob. Quia id exigit finis reservationis, quæ alioquin esset frustranea.

Q. 11. *Quid si pœnitens debeat hic & nunc communicare, nec adsit superior, qui possit illum à reservatis absolvere?*

R. Talem non posse communicare sine confessione etiam peccatorum reservatorum, cum onere se sistendi superiori habenti jurisdictionem. Ita S. Thom. Suares, Layman. Id enim est conformius Concilio Tridentino statuenti illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem antequam accedant ad Sacram Eucharistiam, & reverentiam tanto Sacramento debitam. Quamvis enim reservata indirectè tantùm remittantur, faciet tamen pœnitens quod in se est ut seipsum probet &c.

Q. 12. *An absolutus à reservatis in articulo mortis*

si evadat periculum, teneatur pro illis se sistere superiori?

R. Neg. cùm enim in illo articulo nulla sit reservatio ut ex Trid. dictum est præcedenti §. in fine: quilibet Sacerdos potest tunc à quibuslibet peccatis etiam alioqui reservatis absolvere directè, adeoque sine onere recurrendi ad superiorem; aut alium habentem jurisdictionem in reservata.

Aliud est de censuris, à quibus si quis absolutus fuerit in eo articulo, sanitate restitutâ debet se sistere superiori, quia ab illis non potest quilibet Sacerdos, etiam in articulo mortis, absolvere nisi sub onere comparendi postea coram superiore. capit. *de cætero* & cap. *eos qui* de sententiâ excommunicationis in 6.

§. V.

De obligationibus Confessarii respectu Poenitentium.

Q. 1. *Quinam obligentur audire confessiones?*

R. Habentes curam animarum ut Parochi &c. ex officio tenentur, etiam sub gravi, per se, vel per alios audire suorum confessiones, dum urget causa gravis, v. g. lucrandi Iubilæum, &c.

Alii verò non habentes curam animarum non tenentur, nisi extraordinaria necessitas exigat, si tamen cœperint aliquam confessionem audire, tenentur ex justitiâ illam absolvere, nisi quid obsit, v. g. indispositio pœnitentis.

Q. 2. *An & quomodo teneatur Confessarius pœnitentem examinare, instruere &c.*

R. 1. Si advertat confessarius pœnitentem adeò

esse ignarum ut ea etiam ignoret quæ ex parte ipsius necessaria sunt ad valorem Sacramenti, vel debet illum breviter instruere, quantùm necesse est, in præsenti, vel si non possit debet remittere, ut addiscat.

R. 2. Tenetur pœnitentem examinare de specie, de numero, de circumstantiis peccatorum conformiter conditioni pœnitentis. Ea verò quæ spectant ad peccata carnalia, non sunt ita distinctè examinanda, ut ipsi pœnitenti, aut confessario scandalum creent. Coninck.

R. 3. Si confessarius advertat pœnitentem peccare materialiter ex ignorantiâ invincibili v. g. si putet se legitimè conjugatum, cùm tamen matrimonium sit nullum ob aliquod impedimentum dirimens, tenetur illum instruere, si sit spes emendationis. At si certum sit periculum ne ex peccato materiali fiat deinceps formale, relinqui debet in bonâ fide. Quòd si ipse pœnitens dubitet & de eo confessariū interroget, debet hic verum dicere per se loquendo.

Quod addo, quia si ex declaratione veritatis nullus omninò speretur fructus, sed potiùs gravia timeantur incommoda potest confessarius (inquit Lugo disp. 22. num. 29.) fingere se non audivisse, vel alio modo interrogationem eludere. Vide dicta sup. §. 1. q 3. de prudentiâ confessarii.

Q. 3. *An teneatur confessarius pœnitentem monere de faciendâ restitutione seu famæ seu bonorum;*

R. Teneri per se loquendo si obligatio restituendi sit certa, & putet se aliquid obtenturum si moneat, alioqui si nulla sit spes profectûs, & pœnitens invincibiliter sibi persuadeat se non teneri, relinqui debet in suâ bonâ fide, ut non raro contingit, maximè in mulierculis, quæ alterius famæ detraxerunt, aut furto alterius cooperatæ sunt. Item in filiis-familias, &c.

Idem dicendum est de plerisque aliis pœnitentium obligationibus, quarum ignorantia non impedit valorem Sacramenti.

Q. 4. *An confessarius qui culpabiliter omisit monere pœnitentem de faciendâ restitutione, obligetur ipse ad restitutionem in defectum pœnitentis?*

R. Neg. quia non tenebatur ex justitiâ eam restitutionem procurare, sed tantùm ex officio Patris spiritualis erga pœnitentem. Quòd si tamen culpabiliter asseruerit non esse restituendum, neque id tempestivè revocaverit, tenetur ipse ad restitutionem in defectum alterius, quia positivè dissuadendo restitutionem peccavit contra justitiam: si verò ex quâdam præcipitatione, vel ignorantiâ negaverit esse restituendum, vel contra dixerit esse restituendum, cùm non esset, nòn tenetur quidem ipse restituere, sed si possit, tenetur postea pœnitentem monere de rei veritate.

Q. 5. *Ad quid teneatur confessarius qui pœnitentem invalidè absolvit?*

R. 1. Si invalidè absolverit à censuris, eo quod in eas non habuerit potestatem, vel si habens potestatem omiserit ab eis absolvere, debet acceptâ potestate absolvere, quamvis absentem, quia hæc absolutio non necessariò requirit præsentiam, nec certam dispositionem per se. Aliud esset si tantùm haberet potestatem ab eis absolvendi in ipso actu confessionis.

R. 2. Si invalidè absolverit à mortalibus, non potest absentem absolvere, ut patet ex alibi dictis, sed debet conari eum habere præsentem, & supplere defectum, quantum fieri potest, præsertim si sit mortis periculum, antequam deinceps confiteatur. Quòd si absit mortis periculum, nec commodè suppleri possit defectus, potest pœnitentem in bonâ fide relinquere, quia in proximâ confessione, etiam priora peccata remittentur saltem indirectè.

Q. 6. *Quid si pœnitens factâ confessione discedat à confessionali nondum acceptâ absolutione?*

R. Absolvi debere dum adhuc est in conspectu: si non amplius videatur, sed reperiri possit, potest absolvi etiam nescius, modo ei sit præsens confessarius, & id fiat statim post confessionem.

Q. 7. *Quibus casibus teneatur confessarius denegare absolutionem?*

R. 1. Si pœnitens ignoret Mysteria Fidei necessaria ad salutem, seu necessitate medii, seu necessitate præcepti: damnata est siquidem ab Innocentio XI. hæc propositio: *absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei; & etiamsi per ignorantiam culpabilem nesciat Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini IESU-CHRISTI.*

2. Si pœnitens nolit restituere rem alienam aut satisfacere pro damno illato.

3. Si nolit injuriam sibi illatam remittere.

4. S nolit abstinere ab usurâ, superstitionibus, arte divinandi, aliisque artibus, aut commerciis illicitis.

5. Si aliis sit causa scandali, & gravis ruinæ spiritualis, ut si mulier nolit deponere habitum meretricium, aut tegere nuditatem graviter scandalosam &c. de obligatione deserendi occasionem proximam, & de recidivis, dicetur specialiter sequentibus paragraphis.

Q. 8. *Quandonam differenda sit absolutio?*

R. Extra mortis articulum differendi est 1. si dispositio pœnitentis omnibus attentis appareat dubia, sic ut non possit confessarius sibi formare prudens judicium quòd sit ritè dispositus. Censenda est autem pœnitentis dispositio dubia ex variis circumstantiis, ut si sint frequentes relapsus in eadem peccata, si versetur in occasione peccandi, quam nolit relinquere, &c. de quibus postea.

2. Si

2. Si contra fidem aliquoties datam confessario de faciendâ restitutione, seu famæ, seu bonorum, de remittendâ injuriâ sibi illata, de deserẽdis commerciis illicitis, &c. promissum necdum impleverit.

3. Si spectatâ conditione personæ post diû omissam confessionem, & frequentes lapsus, appareat pœnitentem non sufficienter conscientiam examinasse, si tamen sit persona rudis, quæ per seipsam non possit sufficienter sua peccata recolere, debet à confessario juvari. Similiter si appareat hîc & nunc verè contrita, nec postea habitura sit redeundi opportunitatem &c.

Potest etiam quandoque confessarius differre absolutionem pœnitenti benè disposito, si is consentiat in ejusmodi dilationem, & confessarius judicet eam illi profuturam, v. g. ut peccatorum suorum gravitatem magis apprehendat, majoremque conatum adhibeat ad illa corrigenda: ut probetur ejus fidelitas in servandis promissis de faciendâ restitutione, vitandâ peccandi occasione &c.

Q. 9. *An generatim differenda sit absolutio donec pœnitens per aliquod tempus à peccatis confessis abstinuerit.*

R. Neg. nâm hoc ipso quo pœnitens peccata sua integrè confessus est, deditque sufficientia indicia doloris, & veri propositi, jus habet ad absolutionem, cum non plus requirat Trid. nam quod subindè dicatur differenda absolutio recidivis, &c. ideò est, quòd in illis & similibus frequentiores relapsus, dilatio restitutionis &c. dent rationem dubitandi de sincero eorum dolore ac proposito.



§. VI.

De existentibus in occasione peccandi.

Q. 1. *Quotuplex occasio peccandi ?*

R. Esse duplicem, remotam, & proximam. *Remota* est in quâ quis interdum peccat, sed non ordinariè seu frequenter. *Proxima* est in quâ quis frequenter peccat.

Quot autem relapsus requirantur ut quis v. g. intra septimanam, aut mensem censeatur frequenter in eâdem occasione peccare, præcisè definiri non potest, cum id pendeat à diversitate specierum peccati, à circumstantiis personarum, loci, temporis, à qualitate, seu naturâ ipsius occasionis.

Nam 1. major numerus requiritur ut quis dicatur frequenter in iis quæ ore vel cogitatione committuntur, quàm in iis quæ opere externo complentur.

2. aliqua peccandi occasio potest esse proxima respectu unius, & tantùm remota respectu alterius; imò respectu ejusdem potest esse proxima certo loco, aut certo tempore, quæ alio loco, aut tempore sit tantùm remota.

3. Ipsa etiam natura occasionis multum facit ut post aliquot in eâ relapsus censeatur proxima, aut tantùm remota; aliæ enim occasiones plùs, aliæ minùs excitant ad peccandum.

Itaque ad prudentis confessarii judicium referendum videtur, sitne hæc occasio in præsentibus circumstantiis proxima, an remota, aut accedens ad proximam.

Q. 2. *Quotuplex occasio peccandi proxima ?*

R. Esse etiam duplicem voluntariam & involuntariam. *Voluntaria* est quæ sine gravi incommodo tolli potest. *Involuntaria* est quæ spectatis præsentibus circumstantiis tolli non potest sine gravi incommodo, puta sine gravi jacturâ famæ, &c.

Involuntaria ulterius dividitur in involuntariam physicè, ut si quis in carcere detentus, in eo nactus sit proximam peccandi occasionem; & involuntariam moraliter.

Et hæc iterum est duplex: alia quæ deseri nequit absque peccato, ut si filius eam deserere non potest, quin patrem deserat, qui eo indiget ad vitæ sustentationem: si famulus herum, cui ex justitiâ obligatus est ad serviendum certo temporis spatio: si miles non possit militiam, quæ ipsi est proxima peccandi occasio, deserere invito duce, cui similiter ex justitiâ obstrictus est, &c.

Alia quæ physicè quidem, & sine peccato deseri potest, sed non sine gravissimo incommodo, aut damno, ut si deseri non possit quin vita exponatur præsenti periculo, quin familia honesta ad mendicitatem redigatur; quin vir honoratus incurrere debeat infamiam valde gravem, &c.

Q. 3. *An confessarius possit absolvere pœnitentem existentẽ in occasione peccandi, quam non vult deserere?*

R. 1. Si pœnitens occasionem remotam nolit deserere, nihilominùs absolvendus est, quia eâ nonobstante præsumi potest habere verũ dolorem & propositum efficax non peccandi de cætero.

R. 2. Si pœnitens nolit proximam occasionem voluntariam relinquere v. g. si sine gravi incommodo possit & tamen nolit abstinere à lusu, in quo frequenter, pejerat, blasphemat, &c. si nolit relinquere certam domum, certos socios, in quâ, vel cum quibus sæpius graviter peccat, absolvendus non est, quia cum sit

mortale sine justâ causâ exponere se periculo peccandi, non potest talis censeri habere propositum non ampliùs peccandi.

R. 3. Si occasio peccandi proxima sit involuntaria seu physicè, seu moraliter primo modo, seu quæ relinqui non potest sine peccato, potest pœnitens absolvi, ut patet, quia non est ipsi liberũ saltem sine peccato eam relinquere, unde si in tali occasione sæpius in eadem peccata reincidat, concedi illi poterit, aut negari, vel differri absolutio juxta ea quæ §. sequẽti dicemus de recidivis.

R. 4. Si peccandi occasio proxima sit solùm involuntaria moraliter ob gravia incommoda, v. g. jacturam bonorum aut famæ, &c. nolitque pœnitens eam deserere, absolvi quidem poterit aliquoties, si rationabiliter præsumi possit de vero ejus dolore & emendationis proposito, suggerendo illi media ad seriam vitæ emendationem idonea.

At si iis nonobstantibus nulla sequitur emendatio tum neganda erit illi absolutio donec occasionem illam deseruerit; aut certè differenda dum post aliquod tempus det indicia extraordinaria sinceri doloris ac propositi. (ut sunt singultus, lachrimæ, parata voluntas ad exequenda omnia quantumvis ardua, quæ confessarius injunxerit) majorque inde quàm ãtea emẽdationis spes appareat.

Nota hanc propositionem damnatam ab Alexandro VII. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii vulgò regalo, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

Coll. Multum in hâc materiâ tribuendum esse prudentiæ, atque industriæ confessarii, qui ex circumstantiis discernere debet an occasio aliqua in

particulari sit involũtaria moraliter, seu talis ut pœnitens in eâ, saltèm aliquo tempore, relinqui possit & interim aliquoties absolvi, an aliquo modo voluntaria, aut etiam simpliciter voluntaria, in quâ nè vel semel absolvi possit, nisi deseratur.

Itaque pro ratiõe majoris aut minoris difficultatis in relinquendâ eâ occasione, seu majoris aut minoris gravitatis incommodorum & damnorum quæ inde sequerentur, judicet prudens confessarius an occasio præsentibus circumstantiis sit sufficienter voluntaria ut absolutè pœnitentem obliget ad illam hic & nunc deserendam; aut sufficienter involuntaria ut illum possit saltèm ad tempus in eâ relinquere, & absolvere.

Interim adverte tres hasce propositiones sicut jacent damnatas esse ab Innoc. XI. ut scandalosas ac perniciosas: prima: *potest aliquando absolvi qui in proximâ occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere, qui immò directè & ex proposito querit aut ei se ingerit.*

Secunda: *Proxima occasio peccandi non est fugienda quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.*

Tertia: *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro vel proximi*: Quæ propositiones nullo modo dici possunt contineri in jam dictis resolutionibus ut consideranti patebit.

Non Prima; quia agit de occasione proximâ quam quis potest (potentiâ utique non tantùm physicâ, sed & morali) & non vult omittere.

Non secunda; quia ex eâ sumpta universaliter sicut jacet, sequitur quamcumque causam modò utilis sit & honesta sufficere, ut quis sinatur remanere in occasione peccandi proxima, cùm tamen secundùm nos requiratur gravissima.

Non tertia: quia etsi secundùm nos interdum

sit licitum remanere in tali occasione non tamen licitum est eam directè quærere.

§. VII.

De Recidivis.

Q. 1 *Quinam dicantur Recidivi?*

R. Ii qui iteratis aliquoties confessionibus frequenter post singulas confessiones in eadem peccata reincidunt.

Q. 2. *An, & quando absolvi possint, aut non possint Recidivi?*

R. Generatim absolvi posse quando confessario constat, nonobstantibus præcedentibus eorum relapsibus, de debitâ dispositione, seu vero dolore, ac serio & efficaci emendationis proposito. Ut autem absolvi non possint requiruntur sequentes conditiones.

Prima: *Ut Pœnitens recidivus aliquoties idem peccatum confessus fuerit*, nam si una alterave tantum confessio præcesserit, vel si quis pluries quidem, sed peccata diversa confessus sit, nisi aliud obstet, poterit absolvi.

Secunda: *Ut relapsus fuerint frequentes.* De quo ut prudenter judicet confessarius, attendere debet ad naturam & circumstantias peccati, uti diximus de occasione proximâ: nam aliter sentiendum de peccatis quæ ore & cogitatione fiunt, quàm de ipso opere consummatis; aliter de iis quæ statim post confessionem, & iis quæ aliquamdiu post committuntur, aliter de iis quæ brevi, & iis quæ longiori temporis intervallo &c. nam certum aliquod peccatum censebitur frequenter committi, si ter, quaterve v. g. per septimanam recurrat: non vero si toties per mensem, &c. item

ſunt quædam peccata quæ minori cum adverten-tiâ, & deliberatione committi ſolent, pro quibus proindè requiritur major numerus, ut cenſeatur frequens in illa relapſus, in ordine ad negandam, aut differendam abſolutionem.

Tertia: *Vt in præſenti confeſſione non appareat notabilis emendatio, nec ullum indicium majoris doloris, aut firmioris propoſiti quàm in præcedentibus.* Nam ſi pœnitens poſt ultimā confeſſionem adhibuerit ſolito majorem conatum ad ſui emendationem, ſi imminutus ſit relapſuum numerus; ſi appareant ſigna doloris ſolito majoris, &c. poterit iterum abſolvi.

Quarta: *Vt eædem ſint circumſtantiæ, & eædem peccandi illecebræ*; nam ſi eæ mutatæ ſint, ut ſi novum vitæ genus ſit aggreſſus, ſi domum, ſi ſocios, aliaſve peccandi occaſiones reliquerit, ſi quid contigerit quod extraordinarium ei metum incuſſerit, ſi fuerit in periculo mortis &c. etiam abſolvi poterit.

Q. 3. *Quid ſi Recidivus confeſſarium adeat cui nunquam ante confeſſus eſt.* ?

R. Si confeſſarius ejuſmodi pœnitentem advertat frequenter in idem peccatum v. g. pollutionem voluntariam incidere, ac rationabiliter dubitet an ob tales relapſus ſit abſolutionis capax, debet illum interrogare, an in præcedentibus cōfeſſionibus habuerit eadem peccata, quandonam ultimam confeſſionem inſtituerit, an poſt illam ſecuta ſit aliqua emendatio &c.

Tenetur autem eo caſu pœnitens ad interrogata ſincerè reſpondere; quia eorum cognitio neceſſaria eſt confeſſario ut ferat judicium de ejus diſpoſitione, & media ei ſuggerat, aut præſcribat ad peccatum iſtud deinceps vitandum.

Hinc ab Innocentio XI. damnata eſt hæc propoſitio: *non tenemur confeſſario interroganti fateri*

peccati alicujus consuetudinem.

Q. 4. *An debeat, aut possit recidivus absolvi toties quoties. si non ex alio capite appareat indispositus.*

Ita tenuerunt Vivaldus & Joannes Sanchius apud Lugo, disp. 14. n. 156. ratio illorum quod relapsus quantumlibet iterati non arguant absolutè & infallibiliter defectum propositi in relabente, sed speculativè loquendo possunt provenire ex fragilitate & inconstantiâ voluntatis. Et aliundè pœnitens factâ confessione habet strictum jus ad absolutionem nisi constet de ejus indispositione: ergo si affirmet se habere verum ac serium propositum non amplius peccandi, absolvi debet præsertim si paratum se ostendat uti remediis, quæ confessarius ipsi præscripserit.

Confirm: Quia inquit Sanchius absolvimus absque scrupulo pœnitentem quotidie confitentem eadem peccata venialia, nullo apparente profectu. Ita illi, quibus accesserunt nonnulli recentiores.

R. Omninò dicendum est non posse confessarium, nedum debere absolvere recidivum toties quoties, quia est moraliter impossibile, ut tam frequentes relapsus stent cum vero & efficaci proposito nō relabendi, quale requiritur ad debitam dispositionem.

Neque necesse est ut confessario physicè constet de indispositione pœnitentis, ad hoc ut ei deneget absolutionem. sed sufficit quod habeat indicium aliquod rationabile ex quo formare possit prudens judicium quod sit indispositus; relapsus autem toties iterati absque ullâ emendatione, sunt tale indicium ad hoc plusquam sufficiens.

Aliud est de peccatis venialibus, quæ ob suam levitatem potiùs adscribenda sunt fragilitati humanæ, quam mortalia. Deindè si de quibusdam venialibus non habetur dolor, aut propositum non desinit confessio esse valida, modò habeatur de a-

liquibus, quod dici non potest de confessione mortalium.

Nota hanc propositionem damnatam ab Innocentio XI. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.*

Ex dictis: Coll. pœnitenti recidivo ex eo præcisè quod sit recidivus, non semper, aut ordinariè differendam esse absolutionem, sed attendendum ad ejus dispositionem, & circumstantias, de quibus supra. Neque recidivo etiam disposito semper dandam, sed quandoque cum ejus consensu laudabiliter differri, quando nempè attentis omnibus prudenter judicatur dilatio ei profutura. Vide supra §. 5.

CAPUT VII.

De Sigillo Confessionis.

Sigillum confessionis est obligatio servandi secretum circa ea quorum notitia habetur ex confessione.

Q. 1. *Quænam cadant sub sigillum confessionis?*

R. Sub illud cadere non solùm peccata, quæ in confessione audita sunt, sed etiam quæcumque à pœnitente in eâ dicta sunt ad pleniorem sui manifestationem, sive reipsâ, sive ex ejus opinione ad materiam confessionis pertineant, aut quovis modo illi subserviant. Ratio est quia revelatio quorumcumque istorum redderet Sacramentum odiosum.

Hinc sub sigillum cadunt 1. non solùm peccata ipsius pœnitentis, etiam levissima sive occulta, sive publica, &c. sed etiam complicis, sive cujuscumque peccatum declaratum à pœnitente tanquam objectum, circumstantia, occasio, aut aliter pertinens ad explicandum ipsius statum; sive id necessariò, sive superfluè, sive etiam incogitanter illud expresserit.

2. Defectus naturales tum ipsius pœnitentis, tum aliorum occulti, v. g. quòd sit spurius, Eunuchus &c. quòd si tamen defectus naturales pœnitentis non sint cogniti ex relatione ipsius, sed in ipsâ confessione deprehenduntur, ut quòd sit obliviosus, importunus, scrupulosus, &c quòd linguâ blæsâ aut balbutiente, quòd præcipitanter, confusè, cum variis repetionibus, anxietatibus, confiteatur, &c. quamvis fortè in rigore non cadant sub sigillum, quia non dicuntur in confessione, confessarius tamen peccaret talia, alioqui occulta manifestando, graviùs aut leviùs pro gravitate aut levitate materiæ. Vide Lugo, disp. 23. n. 60.

3. Peccata nondum completè commissa, sed solùm proposita, aut cogitata, ut voluntas, aut cogitatio de furando, occidendo, &c. modò tamen non aliundè nota sint, & sint dicta per modum confessionis.

4. Defectus ipsius confessionis, ut quod pœnitens fuerit indispositus, & dimissus denegatâ aut dilatâ absolutione. &c.

Coll. Esse contra sigillum 1. Si quis dicat etiam de mortuo (nam quæ hîc dicuntur intelligi debent etiam de iis quæ tangunt mortuos) talis confessus est mortale, vel multa venialia, vel tale veniale in particulari : non tamen si dicat : confessus est sua peccata, dedi illi absolutionem, &c.

2. Si quis auditis paucorum confessionibus dicat,

se tale vel tale peccatum audivisse.

3. Si quis ex notitiâ confessionis dicat in tali Monasterio hæc & illa committi, maximè si sit parva communitas. Aliud est si quis tantùm diceret in genere etiam inter Religiosos, vel Ecclesiasticos talia vel talia committi, quamquam consultissimum sit etiam à talibus abstinere, quandoque enim fit ut ex variis ejusmodi propositionibus à confessario prolatis, quarum singulæ seorsim spectatæ non viderentur esse contra sigillum, si tamen inter se conferantur, veniatur in cognitionem alicujus, quod secretum requirebat. Exemplum sit in eo qui cum aliquando viro nobili dixisset primum peccatum à se in confessione auditum fuisse adulterium, aliquamdiu post prioris dicti immemor, eidem dixit uxorem ejus fuisse primam, quam in confessione audierat. Ex quo ut patet nata erant sequi magna incommoda.

Similiter probandum non videtur quod confessarius de aliquo pœnitente, sibi confiteri solito, dicat se numquam ab eo audivisse ullum mortale, non quod id per se sit contra sigillum, sed ob periculum indirectæ revelationis confessionis aliorum pœnitentium, de quibus in iisdem circumstantiis idem ab eodem confessario non diceretur.

Q. 2. *Quanta sit obligatio sigilli confessionis?*

R. Esse strictissimam, & tam arctè, & universaliter obligantem, ut nullo unquam casu liceat revelare vel levissimum pœnitentis peccatum, aut quidlibet aliud cadens sub sigillum, idque sub gravi peccato mortali & pœnis gravissimis, ut constat tum ex cap. *Sacerdos*. de pœnit. dist. 6. & cap. *omnis utriusque sexûs* de pœnit. & remiss. tum ex communi sensu & praxi Ecclesiæ.

Dixi *nullo unquam casu*, in quo differt ab obligatione secreti naturalis, quod quamvis per se

obliget sub peccato, aliquando tamen ob causas gravissimas ad bonum publicum, aut aliquod Reip. malum avertendum solvi potest, sigillum autem confessionis nunquam.

Q. 3. *Vndè oriatur tanta sigilli obligatio?*

R. Oriri ex tribus capitibus 1. ex jure naturali quod nos obligat ad non evulgandum id quod nobis sub secreto commissum est, præsertim cum damno, & infamiâ alterius &c.

2. Ex jure positivo Ecclesiastico ex dictis capitulis.

3. ex jure divino naturali quod velut ex naturâ rei consequitur ad institutionem hujus Sacramenti à Christo factam, ne scilicèt confessio redderetur odiosa.

Hinc in violatione sigilli reperitur triplex malitia, nempè infidelitatis & injustitiæ erga pœnitentem, & sacrilegii ob violationem reverentiæ Sacramento debitæ. Quæ malitia semper est ex naturâ suâ mortalis, nec potest esse venialis ex parvitate materiæ, sed tantùm ex defectu advertentiæ.

Nota violari hoc sigillum non tantùm ex secreti revelatione, sed etiam ex omni usu notitiæ per confessionem acceptæ, qui sit natus reddere confessionem odiosam.

Hinc 1. peccat confessarius qui, non obtentâ à pœnitente licentiâ, cum eo agit extra confessionem de dictis in confessione.

Dico *non obtentâ à pœnitente licentiâ*, quia potest pœnitens dare confessario facultatem utendi notitia acceptâ in confessione, & aliquando ad id tenetur ad evitandum grave aliquod damnum Reip. aut communitatis religiosæ &c. Et tunc confessarius potest eâ uti. Si tamen post impositam pœnitentiam, ac datam absolutionem confessarius judicet aliquid addendum circa dicta in

confessione, id facere potest quamdiu pœnitens est adhuc in sede confessionali. Item potest in sequenti confessione agere de dictis in confessione præcedenti.

2. Nec possunt duo confessarii quibus pœnitens eadem peccata confessus fuerit de iis inter se colloqui.

3. Licèt varii apud Sanchez de Matrim. l. 3. disp. 16. n. 1. & 2. & Tannerum disp. 6. q. 9. n. 140. generaliter doceant licitum esse ex naturâ rei ob justam causam uti notitiâ confessionis Sacramentalis ad rem aliunde non illicitam, dummodo nec pœnitens, nec ullus alius id percipere possit; v. g. quæsito prætextu dimittere famulum, deponere aliquem de officio ad nutum amovibili, denegare gratuitum suffragium, dissuadere donationem, vel legatum, &c. ob vitium, indignitatem, aut aliam causam ex solâ confessione notam; tamen omninò dicendum est id nunquam licere *cum qualicumque pœnitentis gravamine*, quamvis aliùde non injusto. Et verò Clemens VIII. in decreto de casibus reservatis apud Tannerum, vetat ne Superiores regulares ad suorum gubernationem ullo modo utantur auditis in confessione.

Dixi *cum qualicumque pœnitentis gravamine*; quia si usus notitiæ sacramentalis, qui est citra secreti revelationem non cedat in damnum pœnitentis, nec natus sit reddere Sacramentum odiosum, non erit violatio sigilli.

Hinc licitum est confessario studere super peccato audito in confessione; imò & alios super eo consulere. Item si confessarius ex confessione intellexerit sibi certo loco structas esse insidias, potest eo non ire, modò nemo præter pœnitentem advertere possit ideò id fieri. Sanchez, Layman, Coninck &c. Ratio est quia id non potest meritò esse grave pœnitenti, nec reddere Sacramentum odiosum.

Q. 4. *Quomodò respondendum sit, si interrogeris super his quæ cadunt sub sigillum?*

R. Si tacendo, vel non directè respondendo periculum sit ne hoc ipsum accipiatur pro tacitâ revelatione confessionis, potes, si opus sit, etiam cum juramento affirmare te nihil scire eorum de quibus interrogaris, neque te uti ullâ restrictione &c. quia ista affirmatio in talibus circumstantiis apud prudentes, non aliud significat quàm te nihil debere, aut posse revelare.

Quòd si interrogeris an certum aliquod peccatum, etiam aliunde notum judici vel alteri, audiveris in confessione, dic te, & pœnitentem officio suo functos fuisse, nec ea esse interroganda, imò si hoc non sufficiat, dic non esse confessum.

Si denique rogeris an quempiam absolveris, quem non absolvisti, dic te tuo officio functum esse. Et ne talis responsio pro uno facta & non pro aliis sit indicium negatæ absolutionis, expedit similiter respondere de aliis quos absolvisti.

Q. 5. *An vicissim pœnitens teneatur sub tali sigillo celare defectus confessarii in confessione commissos?*

R. Non teneri, quamvis teneatur ad secretum naturale ex charitate, justitiâ, &c. graviter aut leviter pro subjectâ materiâ, nisi fortè ad vitandum aliquod grave damnum, & salvâ potestate, imò & obligatione confessarium ad Superiorem deferendi, si res exigat.

Q. 6. *Quomodò contrahatur obligatio sigilli sacramentalis?*

R. Contrahi ex omni & solâ confessione sacramentali, comprehendendo hoc nomine omnem confessionem factam animo se accusandi in foro pœnitentiæ.

Hinc 1. comprehenditur etiam confessio tantùm inchoata, quam non sequitur absolutio, sive id accidat ex parte pœnitentis non habentis

dolorem, propositum emendationis, voluntatem restituendi, &c. sive aliunde.

2. Si confessio sit tantùm ficta, seu facta non animo confitendi sacramentaliter, sed tantùm irridendi confessarium, vel illum sollicitandi ad peccatum &c. non inducit obligationem sigilli.

Item qui extra confessionem neque in ordine ad illam aliquod peccatum manifestat Sacerdoti, quantumvis addat se id dicere sub sigillo confessionis, non imponit obligationem sigilli, sed solùm secreti naturalis, quia nempe non est in potestate hominis imponere sibi, vel alteri talem obligationem.

Col. Obligationem sigilli contrahi 1. ex confessione quâ quispiam sua peccata ita confitetur, ut ob suam indispositionem prævideat se non absolvendum, adeoque non absolutè intendat absolvi, sed tãtùm velit suam conscientiã aperire, ut vel absolvatur, vel saltèm salutare consilium accipiat.

2. Ex confessione factâ seu clerico, seu laïco, existimato Sacerdoti, imò secundùm Hurtado ex eâ quæ fit laïco cognito ut tali, si pœnitens ex simplicitate putet laïcum in necessitate posse absolvere, quo ad hoc tamen dissentiunt, Suar. Vasq. Lugo &c.

3. Quando quis comparet coram superiore ob casum reservatum, non tantùm quando absolutio jam data est cum onere comparendi, sed etiam dum petitur facultas alteri confitendi, aut certam personam absolvendi. Quia in his omnibus reperitur quædam inchoatio, vel consummatio confessionis sacramentalis.

Q. 7. *Quinam contrahant obligationem sigilli?*

R. Generaliter eos omnes illam contrahere qui mediatè vel immediatè rei sub sigillum cadentis notitiam habent ex solâ confessione sacramentali,

Hinc Iudex non potest contra reum procedere,

cujus delicti notitia, quamvis remotè habita est ex confessione.

Itaque hoc sigillo tenentur. 1. Ipse Confessarius.

2. Ipse interpres, si confessio fiat per interpretem.


3. Vicinus confitenti qui ejus peccatum audivit, sive accesserit animo audiendi, quod est mortale, sive inculpabiliter, & præter suam voluntatem.

Idem dicendum de iis qui præsentes sunt dum quis v. g. in periculo naufragii, vel ex aliâ necessitate coram pluribus confitetur. Nec possunt tales inter se de auditis colloqui. Si tamen pœnitens absque necessitate alicui permittat suam confessionem audire, hic non tenetur sigillo. Vide Hurtado, Coninck &c.

4. Is qui absque expressâ licentiâ pœnitentis, peccatum audivit ex ipso confessario, aut quolibet alio ad sigillum obligato.

5. Probabiliter etiam is qui cum licentiâ pœnitentis à confessario consulitur circa ejus confessionem. contra Vasq. Hurtado, Mærac. &c. qui in eo casu agnoscunt obligationem strictissimi secreti naturalis; non tamen sigilli.

6. Si quis reperiat chartam in quâ alter peccata sua scripsit in ordine ad confessionem. Tenent quidem, Suar. Layman, Lugo &c. tantùm esse obligationem secreti naturalis, Fagundes tamen Malder. Diana p. 3. tr. 4. res. 112. & plures apud illum tenent esse obligationem sigilli, & meritò, quia id Sacramento favorabilius est, & aliis charta censeri potest inchoata confessio,



CAPUT VIII.

De satisfactione sacramentali.

HÆc est tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ, & est ea quæ pœnitenti in Sacramento imponitur à confessario: alia est præservativa, seu medicinalis, quæ datur ad cautelam in futurum: alia vindicativa quæ datur in vindictam, seu punitionem præteritorum.

Q. 1. *An & qualem pœnitentiam injungere debeat Confessarius?*

R. 1. Regulariter tenetur aliquam imponere. Trid. sess. 14. c. 8. Ratio est quia satisfactio est pars integralis hujus Sacramenti; tenetur autem minister quantùm fieri potest, procurare integritatem, etiam materialem Sacramenti.

Hæc autem obligatio licèt sit gravis dùm pœnitentia gravis esset imponenda, probabile tamen est non esse gravem, si tantùm pœnitentia levis est imponenda, ut pro solis venialibus, aut mortalibus aliàs confessis. Diana, Lugo, Amicus &c. quia si pœnitens, ut infra dicetur, non teneatur sub gravi pœnitentiam levem adimplere, etiam confessarius videtur non teneri sub gravi illam imponere.

Dixi *regulariter*: quia quandoque impendi potest absolutio omissâ pœnitentiâ, ut si pœnitens sit incapax eam faciendi: ut sunt moribundi, sensibus aut viribus destituti: expedit tamen quantùm fieri potest, etiam his leve aliquid imponi.

Q.

v. g. invocationem internam vel externam Nominis JESU &c.

R. 2. Tenetur Confessarius quantum fieri potest pœnitentiam injungere proportionatam peccatis. Trid. sess. 14. c. 8. quod sic habet: *debent Sacerdotes, quantum spiritus & prudentia suggerit pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere ne fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, & levissima quadam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Nota ex illis verbis *& pœnitentium facultate* non solam habendam esse rationem qualitatis criminum, sed etiam personæ pœnitentis, & variarum circumstantiarum ad illam pertinentium v. g. infirmitatis, paupertatis, laboris, vel itineris ad confitendum assumpti. Item confusionis, difficultatis, humilitatis in confitendo, spectatâ personæ dignitate, & qualitate &c. & generaliter utilitatis spiritualis pœnitentis.

Unde si pœnitens credatur ob pœnitentiæ gravitatem avertendus à confessione, aut in aliud peccatum lapsurus &c. præstat leviorem imponere & benigniùs cum illo agere, nisi contrarium dictet specialis severitatis necessitas, ut si quis frequenter confiteatur, & in eadem gravia reincidat.

Adde ratione indulgentiarum quæ hoc tempore sunt frequentes multum esse remissum de antiquo rigore in pœnitentiis injungendis: quamvis enim hîc & nunc dum fit cōfessio, nullæ sint indulgentiæ, tamen quia post breve tempus pœnitens habiturus sit eas lucrandi occasionem, imponi potest levior pœnitentia.

Quare expedit pœnitentes qui gravia confitentur, & difficulter majorem pœnitentiam impleturi sunt, moneri aut etiam obligari ut proximâ occa-

ſione indulgentias lucrentur præmiſsâ confeſſione, & ideo jam ipſis imponi pœnitentiam minorem quàm mereantur eorum delicta; eritque pœnitentia non tantùm vindicativa, ſed etiam medicinalis. Vide Lugo diſp. 25. num. 60.

Q. 2. *Quanam opera ſint injungenda pro pœnitentiâ?*

R. Ex Catechiſmo Romano ea generaliter reduci ad jejunium, eleëmoſynam, & orationem: ita tamen ut per jejunium intelligatur quælibet corporis afflictatio, per eleëmoſynam quælibet opera miſericordiæ, & per orationem ea omnia quæ ſpectant ad cultum Dei.

Q. 3. *An poſſint imponi opera merè interna?*

R. Ordinariè quidem imponenda eſſe externa, utpotè pœnalia ſecundum ſe. Interdùm tamen prudenter imponi merè interna, ut moribundo actus internos virtutum Theologicarum, internam invocationem nominis JESU vel MARIÆ &c. quia etiam hæc, ſaltem ratione ſubjecti, ſunt ſuo modo pœnalia.

Q. 4. *An poſſint imponi opera aliundè præcepta?*

R. Affirm. Eſt communis contra Palud quia illa etiam ſunt ſatisfactoria. Ordinariè tamen cenſendus eſt Confeſſarius (niſi ex circumſtantiis aliud colligatur) velle imponere opus diverſum ab opere præcepto.

Undè ſi ſimpliciter jubeat ſemel jejunare, non ſatisfaciet pœnitens jejunando uno die, quo tenetur ex præcepto Eccleſiæ.

Similiter ſi hic jubeatur audire unam Miſſam, non ſatisfacit audiendo unicam die feſto. Satisfaciet tamen audiendo Miſſam, quam ſolet audire ex devotione.

Quod ſi confeſſarius jubeat proximâ Dominicâ audire duo Sacra, non tenetur pœnitens audire tria, quia ex modo præcipiendi ſatis apparet im-

perari unum Sacrum aliundè debitum, & alterum non debitum.

Similiter si Confessarius imperet audiri quotidie Sacrum toto mense, non præsumitur velle audiri duo diebus Dominicis & Festis eo mense occurrentibus, nisi id specialiter exprimat.

Q. 5. *An pro pœnitentiâ imponi possit satisfactio applicanda alteri, v. g. Defunctis?*

R. Affirm. contra Sancium, la Cruz & quosdam alios; quia tunc confessarius non præcipit applicari satisfactionem defunctis secundùm valorem, quem habet ex opere operato, sed secundum eum quem habet ex opere operantis.

Q. 6. *Quandonam sit imponenda pœnitentia?*

R. Quamvis imponi possit tam post, quàm ante absolutionem; consultius tamen est, & est praxis ordinaria, ut imponatur ante, ut si pœnitens illam irrationabiliter detrectet, absolutio denegetur.

Q. 7. *An injungenda sit nova pœnitentia, quando quis post absolutionem subijcit novum peccatum antea oblitum.*

R. Licèt dum subijcitur novum mortale expediat injungi novam, absolutè tamen non est necessarium, quia censeri potest confessarius primò injunctam iterùm imponere, cum ex dictis possit opus aliundè debitum injungi. Vide Lugo, disp. 14. n. 28. Quòd si scrupulosus intra breve tempus sæpius redeat, non expedit novam imponi.

Q. 8. *An pœnitens teneatur acceptare, & implere pœnitentiam injunctam?*

Quæstio procedit *clave non errante*, idest quando pœnitentia rationabilis est, & justa; nam si sit irrationabilis ob nimiam gravitatem, aut diuturnitatem potest pœnitens illam recusare, & ad alium recurrere.

R. Pœnitens tenetur per se loquendo acceptare,

& implere pœnitentiam sibi impositam, & quidem sub mortali, si pœnitentia sit gravis, hoc est ob mortalia imposita; probabiliter sub veniali, si sit levis, seu imposita ob sola venialia, vel mortalia jam ante clavibus subjecta, & remissa. Est communis contra Scotum, Gabriel, Sylvest. & alios apud Vasq. docentes non teneri acceptare, teneri tamen implere, posito quod acceptarit.

Prob. ex Trid. sess. 14. c. 8. ubi ex eo quod claves non solùm ad solvendum, sed etiam ad ligandum datæ sint; probat Sacerdotem debere pœnitentiam imponere, non solùm in medicinam, sed etiam in vindictam, & castigationem. Quæ probatio nulla esset, si pœnitens non teneretur acceptare & implere pœnitentiam.

Probabile tamen est pœnitentem posse recusare pœnitentiam, si simul recuset absolutionem, & malit alterius Sacerdotis judicium subire: quamquam non videatur excusari posse à veniali, cum non possit sine aliquâ irreverentiâ Sacramentum inchoatum relinqui imperfectum.

Q. 9. *Quandonam teneatur pœnitens implere pœnitentiam Sacramentalem?*

Suppono non esse necessarió implendã ante absolutionem cum ipsa sit pars integralis tantum & ultimum complementum Sacramenti pœnitentiæ. Et hæc fuit semper praxis Ecclesiæ agendo de pœnitentiâ Sacramentali.

Quod addo: quia in primitivâ Ecclesiâ qui publicam, ut tunc moris erat, pœnitentiam agebant, tantùm absolvebantur peractâ pœnitentiâ, quæ tamen absolutio non erat Sacramentalis, sed tantùm ceremonialis in ordine ad participationem Eucharistiæ, integram fidelium Communionem in Sacrificio Missæ, publicis precibus &c. quibus ob peccata quædam graviora privabantur. igitur

R. 1. Tenetur pœnitens implere pœnitentiam

quando commodè potest moraliter ; illam autem aliquamdiu differre etiam ex negligentiâ non est mortale, secluso contemptu.

Hinc non necessariò impleri debet ante Communionem, nec ante sequentem confessionem. Si tamen dilatio esset valdè notabilis, & pœnitentia gravis, posset ex eo capite peccari mortaliter; quanquam non sit facilè definire quandonam dilatio censeri debeat notabils

Quod dicit Diana post Fernandes posse differri per annū. aliis communiter displicet ut nimis laxū.

Quod si confessarius tempus determinaverit, ut si v. g. injunxerit confessionem faciendam quot mensibus, aut iterùm intra præsentem mensem, &c. tenetur pœnitens obedire, in quo tamen datur parvitas materiæ, ita ut non debeat censeri grave peccatum, si quis ad unum alterumve diem differat ultra tempus præscriptum.

Si quis sive culpabiliter ex negligentiâ, sive inculpabiliter ex oblivione, aut legitimâ causâ pœnitentiam non impleverit tempore præscripto, non propterea liberatur ab onere illam adimplendi: si tamen ex circumstantiis appareat præceptum confessarii alligatum esse certo tempori eo elapso cessat obligatio parendi.

Q. 10. *An pœnitentia possit adimpleri per alium?*

R. Nisi aliud ex circumstantiis appareat, censeri debet confessarius imponere opus personale, seu per ipsum pœnitentem faciendum.

Hinc qui non potest per se implere ejusmodi opus personale sibi injunctum v. g. jejunium, orationem, auditionem Sacri, peregrinationem &c. nō tenetur curare illud impleri per alium, si tamen præcepta sit eleëmosina, potest pœnitens de suo illam dare per famulum, & ita de similibus.

Nota ab Alexandro VII. damnatam esse hanc propositionem: *pœnitens propriâ authoritate substi-*

tuere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

Q. 11. *An peccet, qui pœnitentiam implet in mortali?*

R. Probabiliter nō peccare cōtra Barbosā, qui putat peccare mortaliter, & Suarez qui saltē venialiter. Prob. quia alias si alicui injunctæ essent certæ preces per annum, peccaret eas recitando in mortali, quod videtur nimis durum.

Q. 12. *A quo & quomodo pœnitentia semel imposita commutari possit?*

R. 1. Non potest quis propriâ authoritate pœnitentiam sibi impositam mutare in aliud opus, quamvis evidenter melius. Est communis contra quosdam apud Dianam part. 3. tract. 4. res. 53. Ratio est quia opus illud in quod mutaret non esset satisfactio Sacramentalis.

R. 2. Non tantùm idem confessarius qui confusè meminit statûs pœnitentis, sed probabiliter etiam alius potest pœnitentiam prius impositam mutare, licèt pœnitens ei non declaret in particulari peccata prius confessa, sed tantùm det ei confusam aliquam notitam statûs præteriti. Navar. Tolet. Sylv. & alii quos citat & sequitur Diana part. 2. tract. 1. miscel. res. 53.

Nota eam pœnitentiæ commutationem si fiat ab eodem confessario posse fieri absque novâ confessione, quia censetur complementum confessionis antea factæ, si vero fiat ab alio, secundum communem, fieri debere in novâ confessione, eo quod commutatio ista debeat esse actio sacramentalis. V. Dian. ibid.



CAPUT IX.

De satisfactione per Indulgentias.

Q. 1. *Quid Indulgentia, quotuplex, & quis ejus effectus?*

R. 1. Indulgentia est remissio pœnæ temporalis debitæ ob peccata remissa quoad culpam. Quæ remissio non fiat virtute Sacramentorum vel martyrii, sed per satisfactionem Christi & Sanctorum nobis applicatam ab habente potestatem. Lugo, disp. 27. n. 1.

R. 2. Alia est totalis seu plenaria, alia partialis. *Plenaria* est quæ sufficit toti pœnæ remittendæ suppositâ sufficientiâ causæ ob quam datur.

Quod addo: quia Pontifices sicut non possunt indulgentias concedere nisi ob rationabiles causas, ut habetur in Extravagante *unigenitus* de pœnit. & remiss. quia nempè non sunt Domini sed dispensatores thesauri meritorum Christi & Sanctorum, ex quo desumuntur indulgentiæ; ita non possunt eas concedere nisi proportionatas gravitati causæ: itaut indulgentia excedens sufficientiam causæ sit invalida quâ parte illam excedit. DD. communiùs contra quosdam Antiquos, quos sequuntur Valent. Bonac. &c. dicentes quamcumque causam modò piam sufficere.

Hinc si Pontifex indulgentiam plenariam concederet ex causâ non valdè gravi, fieri posset ut quis gravibus pœnis obnoxius lucrando plenariam, non absolveretur ab omni pœnâ. Vide Suarez, disp. 50. sect. 4. n. 9.

Col. Unam indulgentiam plenariam posse habere majorem effectum, seu extendi ad plures & majores pœnas remittendas, quàm aliam, si nempè ei

graviori causâ concedatur. Porrò gravitas causæ non tam petitur ex quantitate operis quod injungitur, quod sæpè exiguum est & leve, quàm ex fine quo movetur Pontifex ad illam concedendam, v. g. ad Deum placandum in gravi Ecclesiæ necessitate, ad agendas Deo gratias pro magno beneficio Ecclesiæ præstito &c. ex quo sequitur parvitatem operis injuncti non semper arguere parvitatem causæ, quia potest interdum opus leve multum conducere ad finem magni momenti.

Indulgentia partialis seu non plenaria est per quam tantum pars pœnæ remittitur. & conceditur cum limitatione vel ad partem aliquotam indeterminatam. v. g. àd dimidiam vel tertiam partem &c. vel ad certam & determinatam v. g. 100. annorum, 40. dierum, &c.

Nota 1. quando conceditur indulgentia certorum dierum, vel annorum, non significari tot dies aut annos Purgatorii, ut vulgus existimat, sed sensum esse, quod vi talis indulgentiæ remittantur 40. dies, aut 100. anni &c. de pœnitentiâ, quæ secundùm antiquos Canones fieri debuisset, ac proinde quod tantum de pœnis purgatorii remittatur, quantum 40. diebus, 100. annis &c. sibi remitti meruisset qui tamdiu in austerâ pœnitentiâ vixisset.

Nota 2. olim juxta Canones pro uno mortali graviori plurium annorum pœnitentiam imponi solitam fuisse, adeoque fieri posse, ut homo multiplicatis mortalibus peccatis fiat reus pœnæ, pro quâ remittendâ juxta illos Canones requirerentur mille & plures anni pœnitentiæ. Vide cap *accusasti* de accusationibus, ubi septem anni pœnitentiæ injunguntur pro calumniosâ accusatione. Vide etiam 47. Canones pœnitentiales apud Gratianum in fine decreti, quorum unum alterumve referre lubet, ut appareat quàm diuturnæ & austeræ essent pœnitentiæ, quæ olim pro gravioribus

peccatis, præsertim Sacerdotum imponebantur.

Primus Canon præscribit ut *si presbyter fornicatus sit pœnitentiam decem annorum faciat hoc modo, ut tribus primis mensibus sacco indutus, humi prostratus, & inclusus à vesperâ in vesperam, pane & aquâ utatur, exceptis Dominicis diebus & Festis præcipuis; in quibus modico vino, pisciculis, & leguminibus recreetur. Dein publico abstineat, ne populus in eum scandalizetur: & unum annum & medium in pane & aquâ exceptis Dominicis &c. deinde usque ad completionem septimi anni feriâ secundâ, quartâ, & sextâ jejunet in pane & aquâ, & Officia Minorum tantum Ordinum exerceat: reliquo tandem triennio, sine ullâ redemptione omni sextâ feriâ in pane & aquâ jejunet.*

Canon secundus præscribit ut *si Presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel in Baptismo, vel in Confirmatione tenuit; vel quæ sibi confessa fuit, debet similiter pœnitentiam agere duodecim annis.* Et ita de aliis.

Itaque quãdo datur indulgẽtia v. g. 40. dierũ remittitur tantum, quantũquis satisfaceret 40. diebus pœnitentiæ sibi injunctæ juxta rigorem Canonum. Suar. disp. 50. sec. 5. n. 11. Lugo disp, 27. n. 129.

Dividitur præterea indulgentia in personalem, quæ datur directè in favorem certæ personæ, vel certarum personarum; localem quæ in favorem loci v. g. orantibus in certo Templo, & realem quæ in favorem rei v. g. imaginis, numismatis, &c.

Q. 2. *Quibus competat potestas concedendi Indulgentias?*

R. 1. Summus Pontifex potest concedere indulgentias qualescumque per totam Ecclesiam: idque jure Divino, in quantùm hoc ipso quod constitutus est Christi Vicarius & Pastor universalis, credita est illi dispensatio thesauri communis.

Competit autem hæc potestas Pontifici eo ipso quo est legitimè electus, etsi nondum sit consecratus: quia concessio Indulgentiarum non est actus ordinis, sed jurisdictionis, quod etiam notandum est pro sequentibus.

R. 2. Archiepiscopus & Episcopus habent potestatem concedendi Indulgentias, sed restrictam tum quoad personas, quæ debent ipsis esse subjectæ, tum quoad quantitatem. Archiepiscopus etiam extra tempus visitationis potest concedere pro totâ suâ Provinciâ, quod potest Episcopus pro suâ Diœcesi; nempe in Dedicatione Templi indulgentiam unius anni; non plures, sive unus, sive plures Episcopi ad illud dedicandum convenerint: In anniversario autem dedicationis vel aliâ ex causâ tantùm dierum 40.

Potest tamen Archiepiscopus intra suam Provinciam concedere Indulgentiam 40. dierum, quamvis loci Episcopus ejus suffraganeus pro eâdem causâ similem concesserit; quo casu indulgentia duplicatur. Item potest Archiepiscopus dum visitat concedere 80. dies, quot scilicet potest in suâ Diœcesi. Barbosa de potestate Episcopi allegatione 88. n. 16.

Nota Episcopos potestatem concedendi indulgentias habere ratione officii, & quasi ordinariam, adeoque posse illam delegare alteri, modo sit clericus. Cæterùm dum suo Vicario omnem suam potestatem concedit; non censetur delegare potestatem largiendi indulgentias, nisi hoc specialiter exprimat: quia potestas ista propria est dignitati Episcopali. cap. *accedentibus*. De excessibus Prælatorum; unde non competit aliis Prælatis Episcopo inferioribus, quamvis habeant jurisdictionem quasi Episcopalem. Imò tenenr multi Suar. Lugo, Præpos. Diana & alii potestatem largiendi indulgentias non competere capitulo sede vacante,

quamvis oppositum doceant Azor. Sylvest. Armilla &c.

R. 3. Cardinales, etiam non Episcopi largiuntur indulgentias 100. dierum ex tacitâ concessione Pontificis. Nuntii & Legati Apostolici intra terminos suæ nuntiaturæ aut legationis tantum possunt, quantum ipsis fuerit à Pontifice concessum. Vide pro his Barbosam alleg. 88. Suar. Lugo, Præpos. &c.

Q. 3. *Quænam sint requisita ex parte ejus qui lucratur Indulgentias?*

R. 1. Requiritur status gratiæ, est communis. non tamen requiritur ut omne opus præscriptum ponatur in gratiâ, sufficit si ultimum. Hinc consultum est ut qui vult lucrari indulgentias Iubilæi, opera ad illud requisita concludat per confessionem & communionem.

R. 2. Debent omnia opera præscripta impleri, quia nempe sunt conditio sub quâ conceditur indulgentia; unde qui illa non poneret, quamvis ex ignorantiâ invincibili vel impotentiâ, illam non consequeretur: omissio tamen partis exiguæ ob materiæ parvitatem non impedit illius consecutionem.

R. 3. Probabile est non requiri ut opus præscriptum impleatur ex speciali, seu actuali intentione lucrandi indulgentiam, sed sufficere intentionem habitualem, imò & interpretativam. Layman, Lugo, Diana p. 5, tract. 12. res. 6. & p. 4, tract. 4. res. 24. ubi addit ex portel. & aliis indulgentiam obtineri à nesciente modò ponat opus præscriptum, quia tamen non pauci dissentiunt, tutiùs est habere intentionem actualem, aut saltèm habitualem.

Q. 4. *An possit quis per unum & idem opus lucrari diversas indulgentias?*

R. Si sit opus præscriptum, quod non nisi se-

mel uno die fieri poteſt, aut ſolet ut jejunium, confeſſio, communio, &c. probabile eſt per unum & idem poſſe obtineri plures indulgentias, quæ eodem die ob diverſas cauſas conceſſæ ſunt, ſive in eodem, ſive in diverſis locis, ſecùs ſi opus præſcriptum pluries eodem die iterari poſſit.

Hinc non ſufficit v. g. recitare ſemel roſarium, ad ſimul lucrandas indulgentias unius medalli, & alias alterius.

Q. 5. *An è contra poſſit quis ſæpius repetendo opus præſcriptum toties lucrari eandem indulgentiam?*

R. Si indulgentia reſtricta ſit ad certum tempus v. g. per octavam vel plures determinatè dies, probabilius eſt tantùm ſemel acquiri poſſe. Suar. Sanchez, Layman &c. probabile tamen eſt contrarium quod tenent varii apud Dianam, juxta quam ſententiam probabile eſt poſſe ter obtineri indulgentias in templo noſtro in triduo ante cineralium. Vide Lugo diſp. 27. n. 96. item bis poſſe obtineri jubilæum, ſi quis utrâque ſeptimanâ præſtet opera præſcripta. Quod ſi indulgentia ſit conceſſa ſine reſtrictione ad certum tempus v. g. ſi ſint conceſſi 40. dies recitanti *Pater & Ave* ante certam imaginem, probabilius eſt eam toties obtineri, quoties opus ponitur.





TRACTATUS V.

DE CENSURIS.

Tractatui de pœnitentiâ rectè subjicitur tractatus de Censuris per quas impeditur potestas clavium.

CAPUT I.

De Censuris in genere.

Q. 1. *Quid Censura & quotuplex?*

R. Censura prout hîc sumitur, est pœna Ecclesiastica medicinalis privans bono spirituali. Dicitur *pœna medicinalis*, ut excludatur depositio & degradatio, quæ sunt pœnæ Ecclesiasticæ, non tamen medicinales, sed vindicativæ. Ecclesia igitur dum fert censuram intendit per eam revocare delinquentem à suo delicto; ut emendatum absolvat: unde censura ex intentione Ecclesiæ non est perpetua sicut depositio & degradatio.

Censura propriè dicta est triplex; excommunicatio, suspensio, & interdictum, quibus affinis est irregularitas, de quibus specialiter in sequentibus.

Dividitur censura 1. in censuram latam à jure, & latam ab homine. Prior est ea quæ fertur qui-

dem ab homine, sed mediante lege seu statuto aliquo perpetuo; & quidem universali v. g. in omnes fideles, Religiosos, Diœcesanos &c. Posterior est quæ fertur mediante præcepto transitorio.

Dividitur 2. In censura latæ sententiæ, idest quæ ipso facto incurritur, & ferendæ sententiæ, idest quæ nō incurritur nisi accedente sententiâ Iudicis.

Q. 2. *Quibus competat potestas ferendi censuras, & in quos?*

R. 1. Ordinariam potestatem ferendi censuras, habent omnes & soli, qui jurisdictionem Ecclesiasticam habent in foro externo, nempè Papa, Episcopus, Capitulum sede vacante, Vicarius Episcopi, Nuncius Apostolicus, Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, Concilia Generalia, & Provincialia, Generales, ac Provinciales Ordinum &c. non tamen Parochi.

Potestatem delegatam habent omnes & soli, quibus fuerit legitimè concessa ab habente ordinariam.

R. 2. Censura ferri potest in solos homines præcepti capaces, viatores, baptizatos, & subditos illius qui fert censuram. Vide pro his Coninck, Hurtado, Barbosam &c.

Q. 3. *Quæ causa requiratur ad ferendam censuram?*

R. Ut feratur censura non sufficit qualecumque peccatum, etiam mortale. v. g. contra præceptum naturale vel Divinum, sed requiritur ut sit contra præceptum Ecclesiasticum, & committatur cum aliquâ contumaciâ, quâ quis censeatur Ecclesiæ monentis, aut præcipientis authoritatem contemnere. Ratio est quia censura est pœna Ecclesiastica constituta in eos qui contumaces sunt in superiorem censuræ latorem, ut coërceantur & corrigantur.

Nota ad censuram requiri peccatum in suâ specie completum, nisi in jure aliud exprimatur.

Hinc qui animo occidendi, alterum graviter vulneravit, non incurrit censuras latas contra occisorem.

Dixi *nisi in jure &c.* quia mandans aliquem occidi per assassinos excommunicatur, quamvis non sequatur mors cap. 1. de homicidio in sexto. Similiter si in jure censura feratur contra aliquid facientes, non comprehenduntur consulens, mandans, approbans, &c. nisi specialiter exprimantur.

Q. 4. *Quæ solemnitas requiratur in ferendâ censurâ?*

R. Ut feratur censura ab homine per sententiam particularem ob peccatum commissum debet præcedere aliqua monitio. cap. *reprehensibilis* de appellationibus. Ut autem validè feratur absolutè sufficit unica monitio; ut tamen licitè fiat requiritur

1. Ut præcedat monitio Canonica. Pro quâ vide cap. 9. de sententiâ excommunicationis in sexto.

2. Ut feratur scripto additâ causâ censuræ &c. vide cap. 1. & 4. de sent. excommunicationis in sexto. Coninck disp. 13. n. 85. ut autem feratur censura validè & licitè per legem, aut per sententiam pro peccatis futuris ipso jure aut facto incurrenda, non requiritur alia monitio quàm promulgatio ipsius legis aut sententiæ generalis. Si verò censura sit tantùm sententiæ ferendæ, non videtur Iudex posse reum, etsi convictum, censurâ ligare absque monitione, ut ex dicto cap. *reprehensibilis* docent Suares, Layman, Diana &c. contra Sanchez, Bonac. & alios. Imò etiam quando censura ipso facto incurritur non potest reus per sententiam Iudicis declarari excommunicatus, vel denun-

denunciari nisi præmissâ citatione, ut post Decium tradunt DD. communiter, nisi fortè, inquit Navarrus, crimen esset notorium.

Q. 5. *An & qua ignorantia excuset à Censurâ?*

Triplex hic distingui solet ignorantia. Alia *juris* quando ignoratur aliquid esse jure Ecclesiastico prohibitum. Alia *facti*, quando scitur quidem aliquid esse jure Ecclesiastico prohibitum, sed nescitur factum à se commissum, esse tale; ut si quis clericum percusserit sed nesciens esse clericum. Alia *pœnæ*, quando scitur quidem factum à se commissum, esse jure Ecclesiastico prohibitum, sed nescitur Censuram illi esse annexam.

R. Probabile est non tantùm ignorantiam seu juris, seu facti, sed etiam ignorantiam pœnæ seu censuræ appositæ (saltèm si non sit mortaliter culpabilis) excusare à quâlibet cēsurâ: immò etiā ab irregularitate cōtractâ ex delicto Navar. Bonac. Filliuc. Sanchez. Diana, p. 3. trac. 5. ref. 13. & 67. & alii apud illum. contra Vasq. Hurtado, Præpos. & alios multos id negantes præsertim de censuris Pontificiis.

Prob. ex cap. 2. de cōstitutionibus in sexto quod sic habet: *ut animarū periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcūq; Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia non fuerit crassa, vel supina* quibus generalibus verbis videntur etiam comprehendi ignorantes censuras nec tantùm Episcopales ut volunt adversarii, sed etiam Papales: quia idem est, imò majus animarum periculum in censuris Papalibus quæ faciliùs ignorantur, quàm aliæ.

Dixi *si non sit mortaliter culpabilis*, quia si ignorantia sit culpabiliter vincibilis, adeoque mortalis, multi putant non excusare à censurâ ob hæc verba cap. *dum tamen eorum ignorantia non fuerit crassa, vel supina.*

CAPUT II.

De Excommunicatione.

Q. 1. *Quid excommunicatio & quotuplex?*

R. Excommunicatio est censura per quam privatur quis Ecclesiasticâ communione seu communicatione fidelium. Ea autem communio dicitur Ecclesiastica, quæ subest potestati Ecclesiæ.

Est autem duplex. Alia *civilis* seu *politica* consistens in actionibus externis spectantibus ad humanam societatem; ut sunt confabulatio, mutua salutatio, communis mensa &c. alia *spiritualis* & *sacra* consistens in actionibus ordinatis ad bonum spirituale animarum; & hæc iterùm est duplex, alia *externa* ut est externa participatio Sacramentorum, divinorum Officiorum, Beneficiorum, seu gratiarum, Ecclesiasticæ sepulturæ, &c. alia *mixta*, seu partim externa, partim interna, ut est communicatio in communibus fidelium suffragiis, indulgentiis, &c.

Duplex est excommunicatio major, & minor; *minor* privat participatione passivâ Sacramentorũ, & nunc tantùm incurritur ob culpabilem cõmunicationem cum excommunicato non tolerato. *Major* (quæ sola venit nomine excommunicationis simpliciter) privat omni communicatione Ecclesiasticâ fidelium, ut Divinis Officiis, Sacramentis, conversatione, &c. de quibus infra.

Q. 2. *Qui excommunicati sint vitandi?*

R. Olim excommunicatos omnes fuisse vitandos, sed jam post Concilium Constantiense per constitutionem Martini V. ii solùm sunt vitandi

qui sunt nominatim denunciati, aut notorii percussores clerici.

Nominatim autem denunciatus dicitur, non qui simpliciter est nominatim excommunicatus; sed is, qui à Judice legitimo, vel ex ejus commissione publicè denunciatus est tanquam excommunicatus sub nomine proprio, vel sub eâ descriptione, quâ clarissimè designetur hæc in individuo persona.

Notorius verò clerici percussor dicitur cujus factum non potest ullâ tergiversatione celari, nec ullo suffragio excusari: & talis vitari debet, licèt denunciatus non sit.

Atque hinc sumitur divisio excommunicatorum in toleratos, & non toleratos, seu vitandos. Non tolerati sunt ii quos alii fideles vitare tenentur, nempe nominatim denunciati, & notorii percussores clerici.

Cæteri excommunicati dicuntur tolerati, qui scilicet tenentur ex suâ parte abstinere à communicatione fidelium, quamvis alii fideles citra scandalum eos vitare non teneantur.

Q. 3. *Qui sint effectus excommunicationis majoris?*

R. Ad tria præcipuè genera revocari posse: 1. privationem actionum strictè spiritualium, ut sunt Sacramenta, Missæ sacrificium, Officia divina &c.

2. Actionum latè spiritualium ut sunt electio, collatio beneficii &c.

3. Merè civilium, ut est salutatio, conversatio, &c. qui effectus excommunicatos omnes afficiunt sive toleratos, sive non toleratos; cùm ipsi ex suâ parte æqualiter teneantur alios vitare, quamvis alii non teneãtur vitare toleratos. Circa hæc

Nota 1. Si dum celebratur Divinum Officium, quispiam excommunicatus non toleratus se ingerat, sic ut non tantùm physicè (v. g. obiter tran-

seundo per templum) sed etiam moraliter interfit, monendus est ut exeat, quod si non obediat, incurrit novam excommunicationem Papæ reservatam: & tunc si commodè fieri potest, vi expellendus est; quòd si expelli nequeat, debent alii discedere, & ipse Sacerdos inchoatum sacrificium abrumpere; si necdum pervenerit ad consecrationem (aliqui dicunt ad Canonem) eâ enim inchoatâ pergere debet usque ad communionem, ne sacrificium maneat imperfectum, sumpto autem Sacramento debet & ipse cum suo ministro discedere: si qui impediant ne expellatur talis excommunicatus, incurrunt ipsi excommunicationem. Clementinâ secundâ de sententiâ excommunicationis.

Nota 2. Excommunicatum etiam non toleratum posse concionem audire cum aliis. Item ingredi templum, & privatim orare extra officia, imò & tempore officiorum iuxta Cajet. & alios modò non censeatur ipsi officio assistere.

Nota 3. variis casibus licitam esse communicationem cum excommunicato etiam non tolerato. Nam in primis possunt cum tali conversari conjux, filii, famuli, &c. item alii quilibet, quando notabilis necessitas, aut utilitas id exigit, ut

1. Ad emenda, vel vendenda vitæ necessaria.
2. Ad instruendum, vel ex charitate monendum excommunicatum.
3. Ad vitandum notabile incommodum, aut periculum.
4. Ad justum notabile lucrum, secluso scandalo.
5. Ad Consilium necessarium vel utile.
6. Ad petendum, vel solvendum justum debitum: unde conjux non excusatur à reddendo debito conjugali &c. hæc & similia comprehenduntur hoc antiquo versu.

Utile. lex, humile, res ignorata, necesse.

Ubi per *legem* intelligitur vinculum matrimo-

niale. Per *humile* subjectio filiorum, famulorum &c.

Q. 4. *Quale sit peccatum communicare cum excommunicato non tolerato?*

R. Communicare in rebus sacris est mortale, nisi excuset parvitas materiæ: in civilibus autem per se loquendo est tantùm veniale, ut salutare, convesci, &c. est communis.

Nota si quis communicet in crimine criminoso, seu eo propter quod jam alter incurrit excommunicationem, ut si concubina propter concubinatum jam sit excommunicata, & quis adhuc illâ sciens abutatur, peccat mortaliter, etiam ex eo capite, imò & ipse excommunicationem incurrit: cap. it. *si concubina*, de sententiâ excommunicationis.

Q. 5. *Quinam possint absolvere ab excommunicatione?*

R. 1. Ab excommunicatione latâ per legem seu statutum, vel ab homine per sententiam generalem, potest quilibet Sacerdos absolvere, qui potest à peccatis mortalibus aliis, modò tamen non fuerit reservata. cap. *nuper* de sententiâ excommunicationis.

R. 2. Ab excommunicatione latâ ab homine contra personam particularem, non potest quilibet Sacerdos absolvere; sed tantum is qui excommunicavit, ejusque superior, vel successor, vel delegatus Nomine successoris comprehenditur etiam Capitulum sede vacante.

R. 3. In articulo mortis potest quilibet Sacerdos à quâlibet censurâ etiam reservatâ absolvere: si tamen absolutus à reservatâ, evaserit periculum, tenetur se sistere, & submittere superiori, vel alteri aliàs habenti potestatem sub pœnâ reincidentiæ. cap. *eos qui* de sent. excom. in 6.

R. 4. Episcopus potest in foro conscientiæ ab-

solvere ab omni censurâ Papæ reservatâ, provenīēte ex delicto occulto Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. de reform. Item potest Episcopus absolvere à censuris notoriis Papæ reservatis, si quis judicio viri prudentis non possit ire Romam: ut si sit senex, infirmus, pauper, fœmina &c. quo casu notat Bonac. disp. 2. q. 2. p. 5. n. 10. talem non teneri alium pro se Romam mittere.

R. 5. Possunt varii regulares, præsertim mendicantes, absolvere à plerisque censuris, etiam Pontifici reservatis, in foro conscientiæ. Pro quo consulenda eorum privilegia.

Notanda interim hæc propositio damnata ab Alex. VII. *Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque seculares ab hæresi occultâ, & ab excommunicatione propter eam incursâ*

Nota dum dicitur quis posse absolvere à censuris in foro conscientiæ tantùm, non esse sensum quod non possit extra Sacramentum absolvere, ut quidam interpretati sunt; sed quòd illa absolutio tantùm valeat pro conscientiâ, seu coram Deo, non verò quoad forum externum, cùm sic absolutus debeat exteriùs ita se gerere, ac si non esset absolutus. Si tamen excommunicatio fuerit occulta, potest reus sic absolutus perinde se gerere, etiam exteriùs, ac si non fuisset excommunicatus.

Notanda etiam hæc propositio damnata ab Alex. VII. *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumaciâ cessante, cessant censuræ.*

Q. 6. *Quæ sit forma absolvendi ab excommunicatione?*


R. Quamvis ad valorem in utroque foro nulla certa verborum forma necessaria sit, sed sufficiat quælibet sufficienter expressiva absolutionis; tamen in foro externo utendum est eâ quæ in Ritualibus præscribi solet. In foro conscientiæ nulla

certa forma præscripta est. Sufficit, si absolutio à censurâ exprimatur, sicut exprimenda est absolutio à peccatis. v. g. *absolvo te ab excommunicatione &c.* sol et hæc aut similis adhiberi. *absolvo te à vinculo excommunicationis quod per tale factum* (v g. hæresim) *incurristi, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & Communioni fidelium, in nomine Patris &c.*

Q. 7. *An & quâ ratione exigendum sit juramentum, vel satisfactio ab eo qui absolvitur ab excommunicatione?*

R. 1. Si excommunicatio lata sit propter crimen enorme, ut hæresim, incendium, gravem percussionem clerici &c. debet qui absolvit in foro externo exigere à reo juramentum de obtemperando Ecclesiæ: hoc est de eo crimine in posterùm non patrando.

2. Quando aliquis est excommunicatus ad instantiam partis, in neutro foro absolvendus est, nisi priùs satisfecerit parti; aut si hoc non possit, debet saltèm dare idoneam cautionem pignoratitiam, vel fidejussoriam; aut si neque hoc possit, juratoriam. De variis excommunicationibus in particulari, seu peccatis quibus eæ annexæ sunt, quia res nimis vasta est, consulendi Doctores.



CAPUT III.

De Suspensione.

Q. 1. *Quid sit suspensio, & quotuplex:*

R. Suspensio est censura Ecclesiastica quâ clericus privatur usu potestatis quæ ei competit ratione officii clericalis, vel beneficii. Hinc alia est suspensio ab officio tantùm, alia à beneficio tantùm, alia ab officio & beneficio simul.

Q. 2. *Qui sint effectus suspensionis?*

R. 1. Qui suspensus est ab officio simpliciter privatur omni exercitio tam ordinis, quàm jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Hinc 1. omnes ejus actus ad quorum valorem requiritur jurisdictio, ut auditio confessionis &c. sunt invalidi, actus autem ordinis sunt quidem illiciti, sed validi; quia Ecclesia potest tollere usum potestatis ordinis eum prohibendo; non potest tamen tollere ipsam potestatem.

2. Sic suspensus ab officio non intelligitur suspensus à beneficio; unde probabiliter recipere potest fructus beneficii, saltem si per alium deserviat, & Horas legat. Vide Præpos. q. 3. n. 12. & 20.

3. Suspensus ab officio partialiter, privatur omnibus & solis actibus qui sunt proprii illius partialis officii Hinc suspensus ab officio sacerdotali nō potest celebrare, sacramentaliter absolvere, ministrare Extremam-Unctionem, baptizare solemniter &c. qui sunt actus officii Sacerdotalis.

4. Suspensus à beneficio privatur perceptione

& administratione fructuum provenientium ex beneficio, non tamen hoc ipso suspensus est ab officio; sive jurisdictionis, sive ordinis. Unde licèt fructibus non fruatur, tenetur nihilominus legere Horas, & alia onera beneficii præstare. An autem sic suspensus privetur jure electionis, præsentationis, collationis beneficii sibi provenientis ratione beneficii à quo suspensus est, alii affirmant, alii negant: quod velint aut nolint jus istud esse quemdam beneficii fructum.

Q. 3. *Quandonam incurratur suspensio ipso jure?*

R. Incurri sequentibus casibus qui communiores sunt, omissis aliis rarioribus.

1. Suspensi, sunt qui recipiunt Ordines Sacros ab alieno Episcopo, vel à proprio in alienâ Diœcesi sine dimissoriis, vel qui eos recipiunt sine ætate legitimâ, aut sine titulo, vel extra tempora aut non servatis interstitiis, vel per saltum, vel in censurâ, vel post matrimonium ratum &c. hi omnes suspensi sunt ab executione Ordinis, nisi fecerint absque dolo, & si Ordine utantur, fiunt irregulares.

2. Clerici scienter eligentes Episcopum, vel Parochum indignum suspenduntur à beneficiis ad biennium.

3. Ordinans & ordinatus simoniacè est suspensus ab Ordinibus.

4. Parochus jungens sponsos alterius parochiæ sine licentiâ.

5. Occupantes bona vel census Ecclesiæ, beneficii, vel alterius pii loci &c.

6. Sodomiam exercentes, simoniaci, provocantes ad duellum, vel acceptantes &c.

7. Visitantes, qui accipiunt pecuniam, vel munera. Qui si sint Episcopi, suspensi sunt ab ingressu Ecclesiæ; si inferiores Episcopo, ab officio & beneficio, usque dum restituant duplum. Vide plu-

ra apud authores qui hâc de re tractant.

Q. 4. *Quinam absolvere possint à suspensione?*

R. 1. A suspensione per sententiam latâ, potest absolvere qui sententiam tulit, ejusque superior, vel delegatus.

2. A suspensione quæ ipso jure incurritur, absolvere potest solus Episcopus, vel qui Episcopalem habet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam v. g. ex privilegio.

3. A suspensionibus Pontifici reservatis absolvit solus Pontifex, aut ejus delegatus.

Suspẽsio lata ad certũ tẽpus tollitur elapso præcisè tempore constituto, non ante, licèt suspensus jam se emendarit, nam quamvis censura ferri non possit in emendatum, tamen semel lata durat etiam factâ emendatione.

Q. 5. *Quid depositio, & degradatio, & quomodo differant à suspensione?*

R. Depositio est privatio ab omni officio & beneficio Ecclesiastico in perpetuum sine spe recuperationis, retento solo privilegio canonis & fori, idest ut neque ab ullo percuti, aut hujusmodi vim pati possit. Sub pœnâ canõis *si quis suadente &c.* nec possit trahi ad tribunal sæculare.

Degradatio est quâ quis solemniter privatur omni officio & beneficio & privilegio Clericali in perpetuum. Vide Trid. sess. 13. c. 4. de Reform.

Differunt à suspensione, 1° quia non sunt censuræ propriè dictæ, cum non sint pœnæ medicinales, sed vindicativæ.

2. Quia suspensio non privat officio, vel beneficio, sed usu tantùm. Depositio autem & degradatio privat ipsâ potestate seu officio, & beneficio.

Nota depositum & degradatum adhuc validè, licèt illicitè exercere actus Ordinis ad quorum valorem non requiritur jurisdictio, ut consecrare &c.

quia ut ante dictum est Ecclesia non potest auferre potestatem Ordinis: non possunt tamen, extra mortis articulum, quemquam validè absolvere, saltèm à mortalibus.

CAPUT IV.

De Interdicto.

Q. 1 *Quid Interdictum?*

R. Est censura qua prohibentur divina officia, quædam Sacramenta activè & passivè, & Ecclesiastica sepultura.

Q. 2. *Quotuplex interdictum?*

R. Esse triplex, *locale*, quod immediatè afficit locum, prohibendo ne supra dicta in eo exerceantur, *Personale*, quod afficit personam, ei prohibendo istorum participationem ubicumque locorum existat: & *mixtum*, quod & personam, & locum immediatè afficit.

Interdictum seu locale seu personale, subdividitur in generale & particulare: *Locale generale* est quod fertur in locū aliquē communē, seu plura loca complectentem, v. g. in Regnum, Provinciam, Civitatem, &c. *Locale particulare* est quod fertur in locum particularem, v. g. unam Ecclesiam; vel etiam plures Ecclesias, ut particulares.

Personale generale est quo interdicitur aliqua hominum communitas, prout constituit unum corpus, ut populus, exercitus, &c. *Personale particulare*, est quo una persona, vel plures personæ ut particulares interdicuntur.

Circa interdictū locale notanda sunt sequentia,

1. interdictâ ab Episcopo Civitate servandum est etiam interdictum à regularibus, & exemptis.

Trid. sess. 25. c. 12. de regularibus. Si tamen Episcopus per edictum locale particulare interdicat singulas Ecclesias Civitatis, Ecclesiæ exemptorum non subjacent interdicto, quia non potest Episcopus eas particulariter interdicere.

2. Interdictâ civitate censentur interdicta suburbia, & ædificia continentia, quamvis sint sub jurisdictione seu temporali seu spirituali alterius.

3. Interdictâ aliquâ Ecclesiâ censetur interdictum cœmeterium, & capella, si sint ei contigua.

4. Interdictum locale est etiam personale respectu eorum qui suâ culpâ causam dedere interdicto, adeoque illi etiam extra locum interdictum non possunt interesse divinis.

Circa interdictum personale similiter notanda sunt sequentia.

1. Interdictâ aliquâ communitate, interdicuntur singulæ ejus personæ, etiam non culpabiles; cum hoc tamen discrimine, quòd personæ non culpabiles desinant esse interdictæ dum desinunt esse membra istius Communitatis: culpabiles verò etiam isto casu maneant interdictæ cap. *si sententia* de sent. excom. in sexto.

2. Dùm interdicitur populus alicujus civitatis eo nomine non comprehenditur Clerus, nec Religiosi, nec ii qui non sunt cives, etsi studiorum causâ, aut negotiorum ibi diutiùs commorati sint. Similiter interdicto Clero non interdicitur populus.

3. Dum interdicitur Clerus non comprehenduntur Religiosi etiam Clerici, nisi habeant pastoratum, aut simile beneficium, ratione cujus censeantur cum sæculari clero unū corpus efficere.

4. Probabile est per interdictum personale particulare non ligari innocentes, quia cùm immediatè feratur in singulas personas, sunt velut tot interdicta particularia quot personæ. Aliud est de interdicto generali lato in ipsam communitatem

secundùm se, quia illud est unicum, præsupponiturque culpa proportionata communitatis, atque adeò ligat omnes quatenus sunt pars communitatis.

5. Infantes probabiliùs non comprehenduntur interdicto generali personali, licèt comprehendantur locali. Præpos. q. 4. n. 13. 14. & 43. & idem est de perpetuò amentibus. Vide pro his Con. Præpos. &c.

Q. 3. *Qui sunt effectus interdicti?*

R. Primus est prohibitio tam celebrationis quàm auditionis divinorum Officiorum, nomine Divini Officii intelliguntur Missa, cantus Horarum Canonicarum (non tamen earum privata lectio, nec mensæ benedictio, nec concio, ad quam teste Layman c. 2. n. 6. dari potest pulsus campanæ) item cantus Litaniarum, supplicationes, & aliæ ejusmodi preces Ecclesiasticæ solemniter recitatæ. Item confectio sacramentalium, ut aquæ lustralis &c.

Cæterùm in interdicto locali generali permittitur clericis non interdictis (quo nomine comprehenduntur etiam Religiosi, imò & Moniales) ut illius tempore possint quotidie in suis Ecclesiis, aut monasteriis celebrare Missas & cætera officia Divina, januis tamen clausis, & exclusis excommunicatis & interdictis: item voce submissâ, & absque campanarum strepitu. Conceditur etiam pro eo tempore, ut in festivitatibus Nativitatis Christi, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis, item Corporis Christi, per octavam, divina de more celebrentur pulsatis campanis, & apertis januis, exclusis solis excommunicatis: ita tamen ut qui interdicto causam dederint, Altari nullatenus appropinquent, id est (ut explicat Coninck) non communicent, ut proinde interdicti

possint istis diebus ad communionem admitti.

Secundus effectus est prohibitio susceptionis & administrationis quorumdam Sacramentorum; excipiuntur autem

1. Baptismus & Confirmatio, quæ interdicti tempore etiam in Ecclesiâ interdictâ, palam & solemniter conferri possunt, & ad hunc finem Chrisma suo tempore solemniter consecrari. cap. 19. de excomm. in sexto.

2. Sacramentum pœnitentiæ, quod conferri potest etiam extra mortis periculum. cap. 24. ibidem. Exceptis tamen excommunicatis & iis qui causam dederint interdicto. Hi enim absolvi nequeunt, nisi satisfaciant, aut saltèm de satisfaciendo sufficientem cautionem dederint.

3. Potest etiam ad personaliter interdictos deferri Eucharistia sumenda per modum Viatici, si sint in probabili mortis periculo. cap. 11. de pœnit. & remiss.

4. Probabile est celebrationem matrimonii non prohiberi, sed solam benedictionem nuptialem; atque ex his patet tempore interdicti tantùm prohiberi Eucharistiam dandam laïcis sanis, item Ordinationem & Extremam-Unctionem, quæ nulli ministrari potest absque privilegio, nisi fortè moriturus aliud Sacramentum suscipere non possit. Vide Layman, cap. 2. n. 1.

Tertius effectus est prohibitio Ecclesiasticæ sepulturæ, de quâ dicenda sunt sequentia.

1. In interdicto locali extenditur hic effectus etiam ad infantes, & amentes: si tamen interdictus jam sit inhumatus in loco sacro, quamvis illicitè, non est exhumandus.

2. Qui ob interdictum inhumatus est in loco profano, eo finito transferendus in locum sacrum.

3. Personæ Ecclesiasticæ quæ non süt specialiter interdictæ, nec interdictum violaverunt, possunt

(sed sine cantu & pulsu campanarum, præterquam in supradictis festivitatibus) sepeliri in locis Sacris interdictis, non tamen in specialiter interdicto.

Q. 4. *Quæ sint pœna violantium interdictum?*

R. 1. Peccant mortaliter.

2. Qui illud violat exercendo actum Ordinis incurrit irregularitatem. cap. 18. & 20. de sent. excom. in sexto.

3. Religiosi, etiam exempti, non servantes interdictum generale locale, quando illud servari vident à matrice Ecclesia vel à parochiali loci in quo habitant, incurrunt excommunicationem. Clementinâ 1. de sent. excom.

4. Eandem, & quidem Papæ reservatam incurrunt domini temporales compellentes clericos publicè celebrare Officia in loco interdicto, vel impedientes ne interdicti moniti exeant tempore Officiorum, uti & ipsi interdicti post monitionem exire detrectantes.

5. Qui interdictos extra casus concessos scienter sepeliunt sepulturâ sacrâ, incurrunt excommunicationem Episcopo reservatam. Clementinâ 1. de sepulturis.

Q. 5. *Qui possint absolvere ab interdicto?*

R. à locali & generali personali absolvit solus Episcopus, quia ad hoc requiritur jurisdictio fori exterioris. A merè personali particulari, potest absolvere qui potest à culpâ mortali nisi specialiter reservetur.

Q. 6. *Quid cessatio à Divinis?*

R. Est intermissio quædam (scilicet sub præcepto) Divinorum Officiorum & Sacramentorum assumpta ab Ecclesiâ in testimonium doloris, & per modum justæ defensionis contra gravem injuriam ei factam, ut emendatio delinquentis obtineatur. Eosdem ferè effectus habet cum interdicto. Non est tamen censura, ideoque ejus viola-

tione non incurritur irregularitas.

Probabile est ejus tempore licitam esse sepulturam sacram. Religiosi eam violantes incurrunt excommunicationem. Clementinâ 1. de sent. excom.

CAPUT V.

De Irregularitate.

De irregularitate, quamvis non sit censura; hîc tractari solet, ob magnam ejus cum censurâ similitudinem.

Q. 1. *Quid irregularitas?*

R. Est inhabilitas, seu impedimentum canonicum per se directè impediens susceptiónem Ordinum, & indirectè usum receptorum. Non est censura propriè dicta, imò nec pœna ex ratione suâ genericâ, cùm principaliter feratur ob reverentiam Divinorum Ordinum nomine ex communi (quamvis aliqui dissentiant apud Bonac. disp. 3. q. 1. p. 1. n. 4.) hîc intelligi etiam debet prima tonsura, licèt non sit Ordo.

Nota irregularitatem non reddere susceptionem Ordinum invalidam, sed illicitam. Item irregularem illicitè quidem, non tamen invalidè exercere Ordines etiam probabiliter absolutionem sacramentalem quæ est actus Ordinis, quia nusquam habètur quòd irregularis privetur jurisdictione. Præpos. q. 5. n. 13.

Q. 2. *Quotuplex sit irregularitas?*

R. Dividitur 1. in eam quæ est ex delicto, & eam quæ est ex defectu nempe involuntario, ut defec-

defectu natalium, integritatis membrorum, &c. ad irregularitatem ex delicto requiritur peccatum mortale exteriùs consummatum, sufficit tamen occultum.

Dividitur 2. in totalem, quæ omnium ordinum susceptionem & usum impedit, & partialem, quæ tantùm aliquorum. Sic Sacerdos amisso pollice est tantùm irregularis ad faciendam Missam, non ad audiendas confessiones &c.

Nota irregularitatem incurri ante sententiam etiam declaratoriam seu criminis, seu defectùs, modò de iis non sit dubium

Q. 3. *Quæ sint irregularitates ex delicto?*

R. Prima *ex illicitâ Sacramentorum susceptione.*

Hinc 1. Ratione Baptismi fiunt irregulares scienter rebaptizatus, rebaptizans, qui rebaptizanti ministrat, qui extra necessitatem permittit se ab hæretico baptizari. Clinici, qui culpabiliter differunt Baptismũ usque ad mortis articulũ.

2. Ratione ordinis fiunt irregulares, qui furtivè ordinatur, idest qui non examinatur, vel non admissus vel alio pro se ad subeundum examẽ submisso dolosè se ingerit inter ordinandos. Item qui post contractum matrimonium, etiam non consummatum, ordinatur invitâ uxore.

Secunda: *ex malo usu Ordinum* Hinc Clericus actum Ordinis quem non habet, exercens eâ solemnitate quâ exerceri solet ab iis qui illum habent, fit irregularis; ut si Clericus non Diaconus canat Evangelium (præsertim si cum stolâ) item si non Subdiaconus canat Epistolam cum manipulo (non tamen si absque illo quamvis cum dalmaticâ) incurrit irregularitatem. Intellige nisi excuset ignorantia, &c. Addit Navarr. tom. 3. in 2. part. decreti c. 27. n. 242. regularibus mendicantibus etiam non Subdiaconis

licere ex consuetudine uti manipulo in Sacrosolemni, adeoque non fieri irregulares. Similiter fit irregularis qui violando censuram exercet actum Ordinis sacri. capit. 18 & 20. de sententiâ excommunicationis in sexto. Qui tamen actum Ordinis sub excommunicatione prohibitum primâ vice exercet, non fit irregularis, quia talis non violat censuram, cùm ponat actum naturâ priorem incursione.

Tertia *ex homicidio & mutilatione injustis.* 1. Irregularitatem incurrit qui alium voluntariè occidit. Dicitur autem homicidium voluntarium ad sensum Canonum quod in se est directè volitum, vel in causâ ita propinquâ, ut moraliter sit impossibile hanc velle, & non velle homicidium.

Idem dicendum de causâ morali homicidii scilicet mandante, rogante, consilium dante, auxilium præbente &c. cap. *si quis viduam dist.* 50. intellige de causâ efficaci, non autem si assertione occisoris vel aliunde constet illum hoc fecisse independenter à mandato, vel consilio dato.

Quòd si plures ex composito invadant, omnes sunt irregulares, quamvis unicus eum percusserit. Si tamen non ex præmisso consilio, sed occasione rixæ plures unum invadant, solus ille probabiliter est irregularis qui occidit.

Quòd si Titius quempiam non lethaliter percusserit, & alii supervenientes eidem lethale vulnus infligant, Titius non incurrit irregularitatem. Cap. *significastis.* 2. de homicidio.

Item si Titius lethale quidem vulnus Caio inflixerit, sed is ab alio superveniente sclopo trajectus statim obierit, Titius probabiliter non est irregularis, quia non occidit.

Ille tamen fieret irregularis qui alicui jam lethaliter saucio, vulnus licet leve superadderet, ex quo citiùs moreretur.

Similiter si quis ab altero vulneratus ex suâ intẽperantiâ, aut Chirurgi imperitiâ moriatur, probabile est vulnerantem non esse irregularem.

Hoc certum est, eum qui dubitat an ex vulnere à se inflicto secuta sit mors, debere se gerere pro irregulari, jure ita specialiter in hoc casu statuente cap. *ad audientiam* de homicidio. Quod tamen extendi non debet ad alios casus, cum probabilius sit, extra casum homicidii neminem in dubio, seu facti, seu juris, censendum irregularem.

2. Eandem irregularitatem incurrit, qui committit homicidium casuale, modò sit culpabile: quod contingit quando quis potuit ante prævidere in tali occasione secuturam alterius mortem, ut dum quis jaculatur temerè, vel sine sufficienti præcautione aliquid projicit, &c. immò docent nonnulli satis esse quod is, ex cujus actione per accidens, & ex improviso sequitur mors alterius, dederit operã rei illicitæ in quocumque genere v. g. furti. Cajet. Sylvest. &c. quod tamen postremum negânt alii communiùs.

Quod diximus de homicidio idem dicendum de mutilatione injustâ, tum voluntariâ, tum casuali. Clementinâ *si furiosus* & c. 3. de homicidio in sexto. Est autem mutilatio abscissio membri vivi.

Hinc non mutilat qui alterum excæcat non eruendo oculum, nec probabiliter qui aliud membrum inutile reddit sine abscissione.

Putat tamen Præpos. q. 5. n 71. incurri irregularitatem si quis membrum reddat aridum seu mortuum, quia substantialiter mutilat. Est autem membrum ea pars corporis quæ per se habet aliquod officium in corpore distinctum, ut oculus, manus, &c. non dentes, capilli, barba. Qui alteri solùm abscinderet digitum juxta Bonac. Dianam &c. contra Sotum non fieret irregularis. Nec qui auriculam seu cartilaginem exteriorem. Avila p. 7,

disp. 5. sect. 1. dub. 1. & alii. Qui tamē culpabiliter sibi dig tum, vel notabilem ejus partē abscindit, est irregularis. cap. *qui partem* dist. 55. ex dictis.

Coll. si quis in somno, ebrietate &c. item ad necessariam sui defensionem alterum mutilet, aut occidat, non est irregularis ex Clement. *Si furiosus* de homicidio. Quod tamen de dormiente, & ebrio, sic intellige, ut non potuerit prævidere se in somno, aut ebrietate occisurum. Si enim advertat se solere in somno, vel ebrietate arma capere, alios percutere &c. & non præcaveat, fiet irregularis, si quempiam occidat, aut mutilet. Quod autem de justâ sui defensione dictum est, intellige, nisi occidendo, aut mutilando notabiliter excesserit moderamen inculpatæ tutelæ.

Quarta *ex aliis criminibus habentibus annexam infamiam.* Ea sunt crimen læsæ Majestatis, incestus, perjurium in judicio, veneficium, sodomia, simonia, hæresis, & illius favor. Ex variis juribus & legibus, & ex Trid. sess. 24. c. 6. de reform. Raptus mulierū, ejusq; favor, ut ex sess. 25. c. 19. de reform. Duellum, ejusq; societas, & alia similia, pro quibus vide Layman. l. 1. tract. 5. p. 5. c. 4. quæ, si sint publica, inducūt irregularitatē, nō aliter. Specialiter pro hæresi in partibus septentrionalibus an inducat infamiā & irregularitatē, vide Layman.

Q. 4. *Quæ sint irregularitates ex defectu?*

R. Prima est *ex defectu corporis aut animi.* Ex defectu corporis censendus est irregularis, quicumque talem habet corporis defectum, deformitatem, aut morbum, ut vel non possit absolutè, vel nonnisi cum magnâ indecentiâ, vel spectantium horrore exercere actus ordinū. Vide pro his jus canonicum. tit. de corpore vitiatis, & tit. de Clerico ægrotante, & dist. 36. & 55. Item Layman, Coninck, Præpos. &c.

Hinc irregulares sunt. 1. Carens pollice, vel

indice, non tamen carens aliis digitis, modò non sit magna indecentia, vel horror.

2. Cæcus, surdus, enormiter claudus, ut qui non potest sine fulcris, aut pede ligneo incedere.

3. Carens naso, non item carens auribus, si possit vitium crinibus tegi.

4. Deformiter gibbosus, vel facie maculatus.

Quanta autem debeat esse deformitas relinquitur judicio Episcopi. Et quamvis quoad regulares exemptos, id pertineat ad ipsorum Prælatum, potest tamen Episcopus eos admittere, vel rejicere.

5. Carens uno oculo, cum notabili deformitate. Secùs si habens duos oculos, dextro non videat, vel etiam sinistro, modò Canonem Missæ sine indecenti corporis conversione legere possit.

6. Leprosus, Epilepticus seu morbo caduco laborans, nisi ut limitant aliqui accessus, ita præsentire soleat, ut nullum sit periculum inconvenientiæ.

Qui tamen post Sacerdotium fit epilepticus, & rarò labitur, id est semel in mense, ait Bonac. & sine clamore & spumis, potest adjuncto Sacerdote jejuno celebrare.

Eunuchus à naturâ, vel factus nullâ suâ culpâ, non est irregularis ex hoc capite.

Nota quamvis prædicti defectus omnium Ordinum susceptionem impediant, si tamen jam ordinati in eos incidant, non prohibentur, eos Ordinis actus exercere, ad quos non censentur inhabiles. Unde Sacerdos cæcus, vel mancus, potest nihilominus audire confessiones &c.

Ex defectu animi communiter dicuntur irregulares. 1. Illiterati, seu non habentes doctrinam necessariam.

2. Neophyti.

3. Mancipia.

4. Obligati ad ratiocinia, ideſt habentes officium ſæculare Tabellionis, Iudicis &c.

5. Carentes ætate debitâ. Verùm hi omnes non ſunt propriè irregulares, quia ſublato impedimento poſſunt ſine diſpenſatione ad Ordines promoveri. Soli ergo ex hoc capite ſunt propriè irregulares energumeni, & furioſi.

Secunda eſt *ex defectu natalium*. Ex hoc capite irregulares ſunt omnes illegitimi, ſive ſpurii, ſive naturales, niſi legitimati ſint per ſubſequens matrimonium inter parentes, aut habeantur in jure pro legitimis. Ut qui nati ſunt ex Matrimonio invalido quidem, ſed celebrato in facie Eccleſiæ bonâ fide ſaltèm unius contrahentis.

Tertia *ex defectu Sacramenti.* Contrahitur hæc irregularitas per bigamiam, ideſt matrimonii duplicationem. Triplex autem eſt ejuſmodi bigamia, inducens irregularitatē, ſcilicèt vera, interpretativa, & ſimilitudinaria.

Vera eſt cùm quis plures ſucceſſivè uxores ducit, & cum ſingulis matrimonium conſùmmat.

Interpretativa eſt 1. cum quis Viduam du cit, aut ab altero priùs corruptam, & cum eâ, jam factâ uxore ſuâ, matrimonium conſummat. cap. *ſi quis Viduam* cit.

2. Dum quis uxorem ſuam cognoſcit poſt commiſſum ab eâ adulterium, ſive per vim, aut metum, ſeu voluntariè, ſeu ſciente, ſeu ignorante viro. Filiuc. Suar. &c. vide Dianam p. 4. trac. 2. reſ. 40. non eſt tamen bigamus neque irregularis, qui priùs à ſe corruptam ducit, neque qui ante vel poſt, vel ſtante matrimonio, fornicatus eſt vel adulteratus, quia nullum jus his irregularitatem ponit.

Similitudinaria eſt, cùm quis poſt votum ſolemne in aliquâ Religione, attentat, & conſummat matrimonium etiam cum virgine, quamvis

reipsà nullum sit matrimonium ob impedimentum dirimens. Quod extendunt multi ad Clericos sæculares in Sacris constitutos, dissentiente Hurtado.

Quarta *ex defectu lenitatis*. Ex hoc capite incurritur irregularitas per occisionem vel mutilationem, etiam justam, tum in judicio, tum in bello offensivo, sequentibus modis.

Iudex proferens sententiam mortis, vel mutilationis, & omnes ministri justitiæ ad eam authoritate publicâ concurrentes, ut accusator, testis, advocatus & Procurator accusatoris, (non rei) Advocatus & Procurator Regius, Notarius, Scriba, recipiens & signans depositionem testium, vel sententiam Iudicis. Hi omnes incurrunt irregularitatem. Item executores sententiæ ut tortor, ejusque famulus actu concurrens, v. g. focum struens, vel funem trahens. Item satellites &c. DD. communiùs ex can. 1. dist. 51. ubi curiales & in forensi exercitatione versati, dicuntur irregulares, & ex cap. 3. *nè Clerici*, & cap. 2. de homicidio in 6.

Non est tamen irregularis, qui remotè tantùm, & indirectè ad sententiam sanguinis, vel ejus executionem, concurrit, ut

1. Princeps constituendo judices aut alios ministros justitiæ, imò nec præcipiendo, ut super aliquo facto particulari inquirant, & faciant justitiam.

2. Episcopus degradatum tradens brachio sæculari. Debet tamen secundum Canones pro eo intercedere, ut citra sanguinem puniatur.

3. Faber, & quicumque alius, qui non est minister justitiæ ad hoc specialiter stipendiatus, sed ut privatus artifex mercenarius, patibulum extruit, (etiam ad unum in particulari suspendendum) theatrum erigit, gladium acuit, aut

alia instrumenta conficit sententiæ exequendæ.

4. Famulus scribæ, notarii, advocati &c. scribens sententiam, vel depositionem testium, quia nullum ei robur describendo tribuit. Bonac. Avila, &c.

5. Qui injuriam passus reum accusat solùm ut suas, vel suorum res recuperet, injuriam avertat, aut satisfactionem obtineat, modò protestetur, se non petere judicium sanguinis.

6. Advocatus rei, & testes, etiamsi contingat illos pro justâ ejus defensione objicere accusatori crimina, ob quæ ipsemet plectatur, modò similiter protestentur &c.

7. Qui malefactorem detegit.

8. Confessarius interrogatus dicens Iudicem teneri talem adjudicare morti.

9. Confessarius reum hortans ut scalas ascendat, collum supponat &c. Item impetrans reo breviorem, sed mitiorem mortem, vel monens tortorem reum nondum esse mortuum, item commendans tortori, ut ubi inceperit rem citò conficiat Vide Dianam p. 3. tract. 5. res. 79. ubi post Vasquez & Turrianum, generaliter resolvit irregularitatem ex defectu lenitatis in causâ sanguinis non incurri à privatis, sed solùm ab iis qui spectant ad judicium, vel ad executionem aliquo modo ut ministri justitiæ, & authoritate publicâ: ut proinde generatim dici possit neminem incurrere irregularitatem in hâc materiâ, nisi concurrat ad mortem, aut mutilationem, vel ut minister publicus etiam justè; vel ut privatus injustè.

Col. 1. multò minùs fieri irregularem qui extra casum judicii citra mortale est causa cur mors alicui acceleretur, v. g infirmum vertendo, erigendo. ab uno loco in alium transferendo, jusculum ei præbendo &c.

Col. 2. Fit irregularis qui in bello offensivo

quamvis justo, quempiam manu propriâ occidit, aut mutilat. Secùs si tantùm cooperetur, v. g. custodiendo sarcinas, hortando ad pugnam &c. quod Diana p. 4. tract. 2. res. 29. contra communem, putat esse verum, etiamsi hortetur ad aliquem in particulari occidendum. Quòd si bellum sit injustum, etiam est irregularis, qui quomodocumque cooperatur.

Dixi *in bello offensivo*, quia in merè defensivo justo, & necessario ad defensionem Reip., probabilius est ne quidem Clericos & Religiosos si quempiam occidant, aut mutilent, irregularitatem contrahere. Suar. & alii, ex cap. 2. de immunitate Ecclesiarum, ubi Pontifex dicit etiam Clericos in casu necessitatis, non excusari à murorum custodiâ.

Q. 5. *Quinam dispensare possint in irregularitatibus?*

R. 1. Summus Pontifex potest validè dispensare in omni irregularitate, & solus id potest in homicidio voluntario, quamvis crimen sit occultum.

Si tamen hanc irregularitatem quispiam incurrisset post susceptos Ordines, nec posset absque gravi scandalo aliquem Ordinis actum omittere, posset Episcopus, secundùm aliquos, cum occulto homicida saltèm ad tempus dispensare.


R. 2. Ex Trid. sess. 24. c. 6. de reform. Episcopus potest dispensare in omni irregularitate ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario. Potest etiam, secundùm aliquos, dispensare in defectu natalium planè occulto. Vide Avilam, Coninck, Præpos. &c. hoc certum est posse illum dispensare cum illegitimo ad Ordines minores & Beneficium simplex non requirens majorem Ordinem. Cap. *ut filii*, de filiis Presbyterorum. Denique dispensare potest in bigamiâ similitudinariâ cap. *sanè* de Cle-

ricis conjugatis. Et secundùm Præpos.q. 5. n. 138. etiam in interpretativâ, supponente delictum alienum, ut cùm quis ducit corruptam ab alio, vel cognoscit uxorem suam adulteram &c. modò res sit occulta.

R. 3. Irregularitas ex defectu natalium quoad Ordines suscipiendos (non quoad prælationem obtinendam) tollitur per professionem in Religione approbatâ, non tamen aliæ, ex communi contra Sotum, quamvis earum dispensatio reddatur facilior.

R. 4. Regularium privilegiatorum superiores, habent amplam potestatem dispensandi cum subditis in irregularitatibus, præterquam in bigamiâ verâ, homicidio voluntario publico, & defectu corporis notabili, &c. quid autem possint prædicti privilegiati in ordine ad externos, ex eorum privilegiis petendum est. Neque enim hoc ipso quod illis concessa est facultas absolvendi à censuris, censenda est etiam concedi pro irregularitate, cùm difficilior sit irregularitatum, quàm censurarum relaxatio.





TRACTATUS VI.

DE EXTREMA-UNCTIONE, ET ORDINE.

CAPUT I.

De Extremâ-Unctione.

Ritus hujus Sacramenti describitur his verbis Iacobi 5. *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

Q. 1. *Quæ sit materia hujus Sacramenti?*

R. 1. Materia remota, est oleum olivarum ab Episcopo bendictum Trid. sess. 14. c. 1. Probabile tamen est benedictionem Episcopalem non esse essentialem. Victoria, Valentia, Henriquez, quos citat, & sequitur Præpos. q. unicâ. n. 15. dicens saltèm ex dispensatione Pontificis suffi-

cere sacerdotalem, cùm Græci ex ritu antiquo approbato à Clemente VIII. utantur oleo benedicto à Presbyteris.

Nota. Quamvis ex præscripto Ecclesiæ graviter obligante, debeat istud oleum singulis annis renovari, in necessitate tamen deficiente novo posse adhiberi præcedentis anni. Suar. Amic. &c. item si oleum intra annum deficiat sic, ut non videatur posse sufficere, neque possit haberi aliud benedictum, reparari posse super imposito oleo non benedicto, in minori quantitate. Præpos. n. 19. An autem Chrisma sit materia sufficiens; alii affirmant, alii negant.

R. 2. Materia proxima est unctio, quæ facienda est per modum crucis, juxta Nugnum sub mortali, juxta alios sub veniali. Non est essentiale ut fiat immediatè pollice Sacerdotis, sed fieri potest bacillo, aut alio simili instrumento, maximè in peste.

Q. 2. *An essentiales sint unctiones quinque sensuum?*

R. Etsi affirment multi esse essentiales adeoque in praxi esse adhibendas, quantùm fieri potest, probabile tamen est sufficere unicam, in quâvis corporis parte.

Unde in casu necessitatis, & in peste, tutò adhiberi potest unica, maximè facta in capite, ubi sunt sensoria 5. sensuum, dicendo, *quidquid per quinque sensus deliquisti*, vel distinctiùs, *quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum.*

Multò minùs essentiales sunt unctiones pedum & renum, licèt in Florent. recenseantur, cùm passim omitti soleant, præsertim unctio renum.

Q. 3. *Quæ sit forma hujus Sacramenti?*

R. esse hanc *Per istam Sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus*

quidquid deliquisti per visum &c. in Nomine Patris &c. & sic de cæteris sensibus,

Ly *Sanctam*, & ly *suam piissimam misericordiam*, item invocatio Trinitatis ex communi, non sunt de essentia formæ. Ex præcepto tamen servanda est forma consueta. Forma hujus Sacramenti, est deprecatoria, ut patet ex verbis S. Iacobi Supra

Q. 4. *Quinam sint capaces Extremæ-Unctionis* ?

R. Tria requiri, ut quis sit illius capax. 1. ut sit baptizatus, 2. Ut aliquando habuerit usum rationis, 3. ut ratione infirmitatis sit in mortis periculo. Hinc non sunt capaces infantes, & perpetuò amentes, neque afficiendi supplicio: quia licèt sint in exitu vitæ constituti, non tamen ex infirmitate.

Circa hæc, notanda sunt sequentia. 1. Potest hoc Sacramentum administrari pueris post septennium, quamvis Eucharistiam nondum acceperint; quamquam damnandi non sint parochi, nec parentes, qui oppositæ consuetudini, ab Episcopis toleratæ se conformant.

2. Potest etiam ministrari non petentibus, aut petere non valentibus, ob phrenesim, delirium, &c. quia pro hoc Sacramento sufficit intentio interpretativa, quam semper habere censentur ii, qui alia Sacramenta jam ante susceperunt, aut de peccatis contriti, vel saltem attriti putantur, quod de Catholico, quando contrarium non constat, semper est præsumendum.

Dixi *vel saltem attriti*, quia licèt per se loquendo, ad hoc Sacramentum, utpotè vivorum, requiratur status gratiæ, per accidens tamen si quis inculpabiliter tantùm sit attritus, justificabitur vi hujus Sacramenti, ut dictum est de Eucharistiâ.

3. Non potest hoc Sacramentum iterari in eâdem infirmitate, secùs si postquam ex eâ con-

valuerit infirmus, in aliud simile periculum relabatur.

Q. 5. *Qui sint effectus hujus Sacramenti?*

R. Effectus primarius est gratia sanctificans ut connotans gratiæ actualis auxilia, ad alleviandum, seu obfirmandum animum contra morbi molestias, & tentationes dæmonis.

Secundarius autem est triplex: 1. Remissio peccatorum, non tantùm venialium, sed etiam per accidens aliquando mortalium, ut ante dictum est.

2. Absterfio reliquiarum peccati, quæ sunt non tantùm pœnæ, sed anxietates, & errores ex peccato commisso.

3. Recuperatio sanitatis, cum saluti animæ expedierit, ut loquitur Trid. sess. 14. c. 2.

Q. 6. *Quis minister hujus Sacramenti?*

R. Solus & omnis Sacerdos. Quamvis solus Parochus, aut alius ex ejus commissione illud licitè conferat, extra casum necessitatis. In quo tamen quilibet Sacerdos tenetur illud conferre petenti, aut probabiliter eo indigenti. Si quis tamen intra septa domûs religiosæ, etiam sæcularis infirmetur, possunt varii regulares illum inungere, ut habetur in compendio privilegiorum Societatis JESU V. *Extrema-unctio*.



CAPUT II.

De Sacramento Ordinis.

ORdo hîc sumitur dupliciter : 1. pro certo quodam gradu, seu statu Clericorum, qui ad certa Ecclesiæ officia, eaque ad Eucharistiæ mysterium ritè peragendum aliquo modo spectantia, sunt consecrati. Quâ ratione est quid permanens, quod clatum est non esse Sacramentum.

2. Pro ipsâ ordinatione, seu ritu sacro, quo gradus iste, seu potestas confertur, & hoc sensu est quid transiens, & Sacramentum.

Q. 1. *Quot sint Ordines?*

R. Esse septem : nempè Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarii. Tres priores dicuntur majores, & Sacri, quatuor alii minores. Prima tonsura non est Ordo strictè loquendo, quia per illam non confertur potestas ad ullum officium in Ecclesiâ, pertinens ad Missæ sacrificium, sed solùm confertur aliqua dignitas, quâ homo à statu communi sæcularium, transfertur ad gradum Clericalem, fitque capax ut possit illi ordinatè conferri specialis aliqua potestas Ordinis. Et hoc sensu subinde dicitur ordo Clericalis, sed latè.

Dices. Episcopatus quatenus importat collationem potestatis distinctæ à potestate simplicis Sacerdotis, est propriè Ordo, & Sacramentum. Ergo constituit ordinem distinctum à reliquis.

R. Esse quidem distinctum Ordinem, non ta-

men ideo contra communem loquendi modum numerandos esse octo Ordines, ut vult Navarrus, quia Ordo Episcopalis sumptus præcisè secundùm id quod superaddit Sacerdotali, non est Ordo per se stans, sed potiùs consummatio & extensio Ordinis Sacerdotalis, quem essentialiter præsupponit: unde à Sacerdotio completè sumpto, distinguitur tantùm inadæquatè.

Q. 2. *An singuli Ordines sint Sacramentum?*

R. Est de fide, quòd Ordo sumptus genericè sit Sacramentum. Trid. sess. 23. c. 3. ordinatio Sacerdotis, quatenus distinguitur ab ordinatione Episcopi. Item ordinatio Episcopi, Diaconatus, & Subdiaconatus sunt verè Sacramenta, ut communissimè docent Theologi, contra Sotum, & quosdam veteres, qui id negarunt de Ordinatione Episcopi: ac Durandum, & Cajet. id negantes de Diaconatu & Subdiaconatu.

Majus dubium est de Ordinibus minoribus, quos tamen probabilius est esse etiam Sacramenta. S. Thomas & plerique veteres. E recentioribus autem Covarr. Valent. Hurtado, Coninck, Filliuc, Tannerus, Sylvius, Bonac. &c. contra Magist., Durandum, Navarr., Sotum, Cajet., Vasq. Mærat. Arcud. quorum sententia est etiam valdè probabilis.

Q. 3. *Quæ sit materia, & forma Ordinationis Sacerdotalis?*

Nota diversos esse ritus, quibus Ordines conferuntur apud Latinos & Græcos: quæ diversitas maximè elucet in ordinatione Presbyteri, in quâ apud Latinos hic ritus servatur.

1. Episcopus super ordinandum manus imponit cum assistentibus presbyteris.

2. Manus ejus ungit & consecrat, adjectâ certâ verborum formâ.

3. Porrigit tangendum Calicem cum vino, & super-

superpositam patenam cum Hostiâ dicens : *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo pro vivis & mortuis, In nomine Patris &c.* & hæc fiunt ante Evangelium Missæ. Quo lecto, qui ordinatur, pergit totam Missam legere cum Episcopo celebrante, nec omittit ipsa verba consecratoria, quæ simul cum eo pronuntiat, & simul consecrat.

4. Post communionem Episcopus iterùm ambas manus ejus capiti solus imponit dicens : *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, quorum retinueris, retenta sunt.*

Apud Græcos verò præter varia merè cærimonialia, Episcopus caput ordinandi ter signat; tum nullâ factâ porrectione calicis & patenæ, partem sui pallii ejus capiti superponit, cui deinde manum dexteram imponit dicens : *Divina gratia, quæ semper infirma curat, & imperfecta perficit, promovet N. venerabilem Diaconum, in Presbyterum.* Plura de ritibus Latinorum, vide in Pontificali Rom., & de ritibus Græcorum, apud Arcudium lib. 6. c. 2. nunc ad quæsitum.

R. Ad completam ordinationem simplicis Sacerdotis in Ecclesiâ Latinâ, necessaria est necessitate Sacramenti duplex materia partialis, cum duplici formâ partiali. Nempe traditio instrumentorum, cum hâc formâ sibi respondente : *accipe potestatem offerendi Sacrificium &c.* ut sup. & impositio manuum Episcopi, cum hâc formâ : *accipe Spiritum Sanctum &c.*

Prob. prima pars ex Florent. in Decreto Eugenii ubi de Sacramento Ordinis dicitur : *cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur Ordo, sicut Presbyteratus per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem.* Et infra forma Sacerdotii talis est : *accipe potestatem offerendi Sacrificium &c.*

Prob. secunda pars ex Trid. sess. 14 c. 3. de Extremâ-Unctione, ubi dicitur *Ministros Extremæ-*

Vnctionis esse Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per impositionem manuum Presbyterii, id est dignitatis Episcopalis, ut explicat Hurtado.

In Ecclesiâ Græcâ materia essentialis, & sufficiens Ordinis Sacerdotalis, est sola impositio manuum, forma verò *Divina gratia &c. promovet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum.*

Prob. quia teste Arcudio lib. 6. c. 2. hæc Ecclesia non adhibet, nec unquam adhibuit alium ritum.

Dices: ergo materia ordinationis apud Latinos est substantialiter distincta ab eâ quæ est apud Græcos; & olim fuit initio Ecclesiæ, quando necdum habebantur ea instrumenta, v. g. patena, & consequenter diversum erit substantialiter Sacramentum apud Latinos, & Græcos.

R. Materiam Latinorum & Græcorum, esse quidem distinctas materialiter, & quoad entitatem, non tamen formaliter, & in ratione signi legitimi collationis Sacerdotii, sub quâ formalitate ex Christi institutione, est de essentiâ hujus Sacramenti. Pro quo

Nota Christum pro materiâ hujus Sacramenti, non determinasse quidquam in particulari v. g. impositionem manuum, aut traditionem instrumentorum &c. sed solùm indeterminatè, & in genere statuisse, ut in materiam hujus Sacramenti assumeretur signum aliquod legitimum collationis Sacerdotii, quidquid illud esset: determinandum tamen in particulari per Ecclesiam. Quo posito potuit Ecclesia statuere, & de facto statuit, ut diversis temporibus & Ecclesiis, essent materialiter diversa ejusmodi signa collatæ potestatis. quæ tamen convenirent in ratione genericâ, & formali signi legitimi traditæ potestatis consecrandi, & absolvendi.

Et hinc patet non esse substantialiter diversum

Sacramentum Ordinis apud Latinos & Græcos, non obstante diversitate materiali, & entitativâ materiarum, cùm conveniant formaliter in ratione signi legitimi collatæ potestatis.

Unde ulteriùs conficitur Ecclesiam Latinam non mutasse hoc Sacramentum quoad substantiam formaliter, quod esset contra Trid. sess. 21. c. 2. docens Ecclesiam posse quædam mutare in Sacramentorum dispensatione, *salvâ eorum substantiâ*, sed materialiter tantùm, seu quoad entitatem signi, statuendo ut traditio instrumentorum, quæ ante non erat signum legitimum collatæ potestatis consecrandi, inciperet esse tale signum, & consequenter id quod Christus suâ institutione assumpsit in materiam hujus Sacramenti.

Simile est in consecratione panis, cujus materia apud Græcos est panis fermentatus, apud nos azymus. Item in Sacramento matrimonii, ad quod ex Christi institutione non requiritur aliud quàm quod sufficit ad legitimum contractum matrimonialem, seu signum sufficienter, & legitimè expressivum mutui consensûs contrahentium; relictâ penes Ecclesiam potestate præscribendi formam & solemnitatem, sine quâ contractus non sit legitimus.

Q. 4. *An sicut Latini validè quamvis illicitè consecrarent in fermentato, Græci in azymo, ita Latini validè ordinarent ritu Græcorum, & Græci ritu Latinorum?*

R. Neg. disparitas est quòd Ecclesia non possit facere ut panis, seu azymus, seu fermentatus, non sit panis, adeoque materia sufficiens Eucharistiæ: possit autem facere, ut hic ritus sit signum legitimum tradendæ potestatis, ille non sit, item ut ille sit hîc signum legitimum, ille alibi &c.

Q. 5. *Quæ sit materia & forma Ordinis Episcopalis?*

R. Est impositio manuum Presbyterii (id est cætus majorum Presbyterorum seu Episcoporum) supra caput ordinandi: sumitur ex 1. ad Timoth. 4. v. 14. forma autem apud Latinos, est hæc. *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ à tribus Episcopis dum manus imponunt pronunciatur, & ex circumstantiis sufficienter determinatur ad significandam collationem gratiæ, & potestatis Episcopalis.

Apud Græcos verò est hæc forma· *Divina gratia quæ semper infirma sanat, & imperfecta perficit promovet* N. *Deo amabilissimum Presbyterum in Episcopum, à Deo custodita Civitatis* N.

Est autem illa manuum impositio, & formæ Latinorum prolatio facienda necessariò à tribus Episcopis, non solùm necessitate præcepti, sed probabiliter etiam necessitate Sacramenti. Bellarm. Vasq. Hurtado, Coninck & alii communiùs, quamquam oppositum, quod tenet Præpos. non sit improbabile, præsertim accedente Pontificis dispensatione, vel commissione.

Et verò Greg. XIII. teste Præpos. concessit Patriarchæ Ethiopiæ, ut ordinatio Episcopi fieret ab uno Episcopo cum duobus Presbyteris.

Q. 6. *Quæ sit materia & forma reliquorum Ordinum?*

R. Quæ diximus de ordinatione Sacerdotis, cum proportione applicanda sunt ordinationibus Diaconi & Subdiaconi, in quarum singulis apud Latinos probabiliter duplex est materia & forma. Itaque

In ordinatione Diaconi, prima est impositio manûs solius Episcopi cum hâc formâ. *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus ejus in Nomine Domini.*

Secunda quæ fit interjectis aliquot orationibus, est traditio & contactus libri Evangeliorum, ab

uno, vel pluribus simul factus, cum hâc formâ. *Accipe, vel accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesiâ Dei tam pro vivis quàm pro defunctis, in Nomine Domini.*

2. In ordinatione Subdiaconi prima est traditio, & contactus Calicis vacui, & patenæ superpositæ sine hostiâ, quæ traditio fit ab Episcopo. Item traditio urceorum cum vino & aquâ, ac peluis, & manutergii ab Archidiacono, quibus à singulis successivè tactis, dicit Episcopus: *videte cujus modi ministerium vobis traditur.*

Secunda est traditio, & contactus libri Epistolarum, qui fit à pluribus simul, dicente illis Episcopo: *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesiâ Sanctâ Dei tam pro vivis quàm pro defunctis in nomine Patris &c*

3. Materia ordinationis Acolythi, est partim traditio urceorum vacuorum, partim traditio candelabri cum cereo extincto. Materia ordinationis Exorcistæ, traditio libri exorcismorum; Lectoris, traditio libri lectionum. Ostiarii, traditio clavium. Formæ sunt verba cuilibet traditioni correspondentia.

Q. 7. *Quis contactus instrumentorum sit requisitus ad validam Ordinationem?*

R. Communis sententia est in ordinatione Sacerdotis sufficere contactum moralem Hostiæ, quo tangens patenam censetur & hostiam superpositam tangere. Addunt Præp. Coninck, Sylvest. &c. etiam sufficere contactum moralem patenæ, quo quis Calicem tangens, censetur & patenam superpositam tangere. Sed cùm id non sit certum, ideo Episcopus studiosè curat ut patena physicè tangatur.

Q. 8. *Quis Minister Ordinis?*

R. Minister ordinarius est omnis & solus Episcopus. Ex commissione tamen Pontificis,

potest Sacerdos non Episcopus conferre

1. Tonsuram, & Minores Ordines. Patet ex Trid. sess. 23. c. 10. de refor. ubi prohibet Abbatibus, & aliis exemptis, ne ullis præterquam Regularibus sibi subditis, primam tonsuram, aut minores Ordines conferant.

2. Subdiaconatum, imò & Diaconatum. Hoc enim privilegium quibusdam Abbatibus Ordinis Cistertiensis ab Innocentio VIII. concessum esse, per Bullam datam anno 1489. testatur Vasquez disp. 243. n. 39.

Privilegium autem istud vi Tridentini non esse sublatum colligitur, ex eo quod etiamnum sit in usu; testatur enim Præpos. suo tempore Generalem Cisterciensium ordinasse Subdiaconos quinque Religiosos Camberonenses; & non ita pridem, anno 1663. 22. Septembris eorumdem Cisterciensium Reverendissimus Generalis, dum sui Ordinis per Belgium Monasteria obiret, Diaconatûs Ordinem contulit tribus Religiosis Monasterii Dunensis prope Brugas; quorum duo mei in Theologiâ discipuli, dictæ ordinationis, & suscepti postmodum ab Episcopo Brugensi Sacerdotii, testimoniales litteras mihi exhibuerunt.

Non potest tamen ullus Sacerdos non Episcopus quâcumque in dignitate, aut Prælaturâ sit constitutus, aliter hos Ordines conferre, quàm ex commissione Pontificis, sine quâ, nec licitè, nec validè ordinaret.

An autem similiter possit simplex Sacerdos ex commissione Pontificis alteri conferre Sacerdotium, majus est dubium. Affirmant Aureolus, Vasq. Præpos. &c. alii negant.

Q. 9. *An possit Episcopus quoslibet & ubique ordinare?*

R. 1. Non posse licitè ordinare nisi suos subditos, vel habentes dimissorias, vel privilegium,

Trid. seff. 23. c. 8. ubi ordinans non subditum sine consensu & testimonio proprii ordinarii, de probitate, & moribus ordinandi, suspenditur ad annum à collatione Ordinum, Ordinatus autem ab Ordinum susceptorum executione, quamdiu videbitur proprio Ordinario.

R. 2. Non potest Episcopus licitè ordinare etiam suos in Diœcesi alterius, sine hujus consensu. Invitatus tamen v. g. Atrebatensis à Tornacensi, ad conferendos Ordines intra Diœcesim Tornacensem, in favorem Tornacensium, potest etiam suos ibi ordinare, & probabiliter etiam aliunde venientes cum dimissoriis.

Q. 10. *Quis sit Episcopus proprius pro collatione Ordinum?*

R. Episcopum ad hoc censeri proprium, ex triplici capite, 1. Ratione originis. 2. Ratione domicilii, 3. Ratione Beneficii. Cap. *Cum nullus* de temporibus Ordinationum in 6.

Unde qui in unâ Diœcesi natus est, & in aliâ habet domicilium, & in tertiâ habet veri nominis beneficium quantumvis tenue, potest à quovis istorum Episcoporum ordinari.

Nomine autem originis, intelligitur locus in quo quis natus est, sive in quo parentes, dum nasceretur, habebant domicilium, censetur enim quispiam fictione juris ibi natus, ubi parentes habent domicilium, quamvis eum alibi physicè nasci contingat.

Q. 11. *Quid dicendum de dimissoriis?*

R. Ex Trid. seff. 7. c. 10. de reform. capitulum Sede vacante non posse infra annum à die vacationis concedere suis subditis dimissorias ad suscipiendos Ordines sub pœnis ibi adjectis, nisi quis (ut loquitur Concilium) Beneficii Ecclesiastici recepti, vel recipiendi occasione arctatus fuerit.

Possunt tamen Prælati regulares, etiam non

exempti suis subditis regularibus, (non sæcularibus) dare dimissorias. Nec potest Episcopus Regularem etiam sibi subditum ordinare, sine consensu, & dimissoriis sui Superioris.

Q. 12. *Quibus temporibus conferri possint, aut debeant Ordines?*

R. 1. Tonsura quovis loco, & tempore, etiam post prandium conferri potest.

R. 2. Minores Ordines, quovis loco & quâvis Dominicâ, aut quovis Festo quod celebretur saltèm in Choro. Debent tamen conferri manè, quamvis non necessariò cum Missæ Sacrificio.

R. 3. Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium, (quæ conferenda sunt manè in Ecclesiâ, & sub Missâ, non tamen necessariò ab Episcopo celebrandâ.) tantùm in sabbatis quatuor temporum anni, sabbato ante Dominicam Passionis, & sabbato Sancto. Cap. *de eo* de temporibus Ordinationum.

Item Dominicis & Festis, (saltèm in Choro) pro iis qui ex privilegio extra Tempora ordinantur.

Iisdem sabbatis conferri possunt minores Ordines. Immò consuetudo invaluit ut iidem etiam conferantur feria 4. & 6. quatuor temporum: nè videlicèt quispiam recipiat eodem die simul minores Ordines, & Subdiaconatum, quamquam hoc, teste Vasq. Hurtado, &c. non sit vetitum.

Certò tamen vetitum est etiam Regularibus, non obstantibus quibuscumque Privilegiis eodem die duos Ordines Sacros, seu majores recipere, Cap. *dilectus* de temp. Ordinationum. Et Trid. sess. 25. c. 13. de refor.

R. 4. Episcopatus conferri nequit nisi die Dominico. Cap. *quod die* dist. 75.

Potest etiam Episcopus Ordinationem majorum Ordinum faciendam in sabbato differre in Dominicam sequentem, ob multitudinem Ordinandorum, aut suam infirmitatem.

Q. 13. *Quomodo servanda sint interstitia?*

R. Quamvis ex Trid. sess. 23. c. 11. etiam singuli minores Ordines per temporum interstitia conferendi sint, nisi aliter Episcopo videatur, inter ultimum autem Ordinem minorem, usque ad Ordines sacros, annus interjici debeat, nisi Ecclesiæ utilitas, vel necessitas judicio Episcopi aliud exigat.

Item ex cap. 13. & 14. à Subdiaconatu ad Diaconatum, & ab hoc ad Sacerdotium similiter annus, tamen consuetudo obtinuit ut minores Ordines omnes eodem die conferantur. & quidem sæpe pridie quàm conferatur Subdiaconatus.

Solent etiam Episcopi facilè dispensare ut Sacri Ordines conferantur non servatis interstitiis, præsertim Diaconatûs. Pro Sacerdotio requiritur major causa, ut patet ex Trid. c. 14. citato.

Q. 14. *Quænam requirantur ut quis licitè ordinetur?*

Suppono omnem, & solùm marem baptizatum, adeoque etiam infantem, posse validè ordinari: non mulierem, non Hermaphroditum, in quo prævalet sexus fœmineus, secùs si prævaleat sexus virilis. Quæritur hîc de Ordinatione licitè faciendâ.

R. Ut quis licitè ordinetur requiritur 1. certa ætas. Pro primâ tonsurâ in Pontificali requiritur septennium, & à Trid. sess. 23. c. 4. ea scientia, quæ communiter non reperitur ante novennium, inquit Hurtado. Pro minoribus Ordinibus certa ætas à Iure non definitur, sed cum Trid. ibid. c. 11. nolit ut ad eos admittantur qui Latinam linguam ignorant, & qui non sperantur habituri doctrinam sufficientem ad majores, videtur tacitè requirere saltèm regulariter annum circiter duodecimum. Pro Subdiaconatu, requiritur annus 22. Pro Diaconatu 23. Pro Presbyteratu 25. inchoati. Pro Episcopatu jure veteri, in quo à Trid. nihil innovatum est, requiruntur anni 30. com-

pleti. capit. 7. *de electione.*

Anni autem illi computandi sunt non ex nativitate in utero quæ incerta est, sed ex nativitate extra uterum.

Nota Episcopum non posse dispensare in defectu ætatis. Item neque ut is qui bonâ fide ordinatus est ante ætatem, ministret ante debitam ætatem in ordine suscepto.

2. Sæcularis non potest licitè ordinari Ordinibus sacris, nisi titulum sustentationis habeat, ex beneficio vel patrimonio. Trid. sess. 21. c. 2. de reform. Immò si quis ordinetur ficto titulo, aut in contractu quo datur illi quidpiam in titulum, obliget se ad illud restituendum, aut nihil exigendum, peccat mortaliter, & probabiliter suspensionem incurrit.

3. Qui ordinatur per saltum mortaliter peccat, & juxta communiorem suspenditur ab executione Ordinis suscepti. Quod colligitur ex capit. unico de Clerico *per saltum promoto.* Per Trid. tamen sess. 23. c. 14. cum promotis per saltum si non ministraverint, Episcopus ex causâ legitimâ dispensare potest ut ministrent in suscepto.

Q. 15. *Quænam sint obligationes Ordinatorum?*

R. 1. Tonsurati, & Minoribus initiati, non obligantur ad ullas preces; nec facilè peccati saltèm gravioris damnandi sunt, licèt etiam diu omittant clericam, seu tonsuram clericalem, & habitum gestare. Si tamen Beneficium habent ad id obligantur, juxta locorum consuetudinem.

2. Initiati Sacris, licèt non sint beneficiati, tenentur recitare Officium Canonicum, & gestare Clericam, & habitum clericalem. Tenentur præterea Latini ad castitatem, non jure Divino, sed immediatè ex voto solemni, mediatè autem ex lege Ecclesiasticâ, imperante ut ordinandi votum castitatis emittant. Vide Layman. Vasq. &c.

Græci tamen etiam Sacerdotes, (non tamen Episcopi, aut Religiosi) possunt uti matrimonio contracto ante ordinationem, sed non eo die quo ministrant in Ordine suscepto. Capit. 6. de Clericis conjugatis. Non possunt etiam Græci post ordinationem de novo contrahere.

Pro qualitatibus promovendorum ad sacros Ordines, videatur Trid. sess. 23. c. 13. & 14.





TRACTATUS VII.

DE MATRIMONIO.

CAPUT I.

De Sponſalibus.

Q. 1. *Quid ſint ſponſalia, & quid ad illa requiratur?*

R. Sponſalia ſunt mutua futurarum nuptiarum promiſſio.

Hinc ad illa requiruntur ea omnia quæ requiruntur ad promiſſionem, de quâ in tract. de Iuſtitiâ & Iure. Nempe ut ſint deliberata, id eſt facta cum deliberatione ſufficienti. Adeoque nulla ſunt ſponſalia facta ab ebrio, amente, &c.

An autem inita ex metu gravi injuſtè incuſſo ſint invalida, variant ſententiæ. Affirmat Sanchez cum multis, negant alii Hoc certum, poſſe à metum paſſo reſcindi. Si tamen metus fuerit levis, aut juſtè incuſſus, ſunt valida.

Nota contractum ſponſalitium eſſe onerosum, ac proinde niſi uno promittente alter repromittat, non eſſe ſponſalia.

Hinc si Titio matrimonium promittente Caiâ absque repromissione ejus promissionem acceptet, non sunt sponsalia.

Si tamen Caia eam promissionem acceptet ut mutuam & onerosam, eo ipso repromittit, eo modo quo quis acceptando oblatam venditionem equi pro 100. florenis, eo ipso se obligat ad pretii solutionem.

Si autem Caia promissionem illam acceptet non ut mutuam, sed ut gratuitam, & factam in sui favorem, non ideo repromittit.

Nec refert quod quælibet acceptatio venditionis sit repromissio.

Disparitas enim est quod omnis venditio sit contractus mutuus, & onerosus, non item promissio.

Q. 2. *An qui matrimonium fictè promisit alterâ promissionem acceptante, incurrat obligationem sponsalitiam?*

R. Cum communiori neg. contrà Vasq. Pontium, & quosdam alios Ratio est, quia ex dictis de Iustitiâ & Iure nullus contractus ficto consensu initus est validus.

Hinc ut ibi dicitur, qui fictâ matrimonii promissione copulam à virgine extorsit, tenetur quidem illam ducere, non tamen vi sponsalium quæ nulla sunt, sed quia tenetur ex justitiâ fraudem tollere, ponendo consensum verum, & præstare id, cujus solius causâ copulam extorsit.

Q. 3. *Quomodo contrahantur sponsalia?*

R. Contrahi posse 1. vel expressè, dicendo *Promitto tibi matrimonium*, vel tacitè, ut fit quando parentes præsentibus filiis, & quid agatur advertentibus, eorum nomine contrahunt: tunc enim filiorum taciturnitas, censetur tacitus consensus.

2. Vel inter præsentes, vel inter absentes per

Procuratorem, nuntium, litteras &c.

3. Vel publicè, vel clandestinè, quamvis enim contractus matrimonii per Trid. sit irritus, sponsalium tamen nec invalidus est, nec per se illicitus, seclusis specialibus locorum constitutionibus.

4. Vel absolutè, vel conditionatè; conditionatè tamen contracta, non sortiuntur perfectè rationem sponsalium, nisi quando purificatâ conditione, transeunt in absoluta.

Q. 4. *Quinam possint sponsalia contrahere?*

R. Ii soli possunt ea validè contrahere, qui possunt aliquando matrimonium, non solum validè sed etiam licitè contrahere. Ratio est quia nemo potest se obligare ad rem impossibilem, vel illicitam.

Dixi *aliquando*, quia si impedimentum sit tantùm temporale, & sponsalia referantur ad tempus quo impedimentum cessabit, valent sponsalia. Hinc si consanguinei sibi mutuo matrimonium promittant si Papa dispensarit, valet contractus eo modo quo quævis alia sponsalia conditionata.

Coll. eum qui habet votum castitatis etiam simplex, invalidè contrahere sponsalia, licèt possit validè contrahere matrimonium. Quod si talis puellam vitiarit sub promissione matrimonii, & inde sequatur puellæ infamia, aut grave aliud incommodum, vovens tenetur illam ducere, eique post initum matrimonium debitum reddere, non tamen petere, nisi obtentâ voti dispensatione, tenetur inquam, non ex eo quòd sponsalia eo casu sint valida, sed quòd obligatio justitiæ reparandi damnum ex injustâ deceptione prævaleat obligationi voti, quod servari non debet rebus notabiliter mutatis.

Intellige, nisi puella votum alterius ante scierit.

Quod si puellæ ex illâ copulâ nulla sequa-

tur infamia, aut aliud grave incommodum, debet votum servari.

Q. 5. *Quâ ætate contrahi possint sponsalia?*

R. Non validè contrahi ante septennium completum. Cap. *litteras*, & cap. *accessit*. De desponsatione impuberum. Quod si post septennium, sed ante pubertatem contracta sint, possunt ab utrolibet rescindi, statim atque ad pubertatem pervenerint, non ante. Sufficit autem resilientem attigisse pubertatem. Per ly *statim*, communiter intelligitur intra triduum.

Cæterum cum illa sponsalia semel valida fuerint, ex illis oritur impedimentum publicæ honestatis, quantumvis postea rescindantur cap. 4. & 5. de desponsatione Impuberum; quod saltèm verum est si unius tantum consensu dissolvantur.

Q. 6. *Qui sint effectus sponsalium?*

R. Primus & præcipuus, est obligatio quâ sponsus, & sponsa obligantur matrimonium contrahere tempore præfixo, aut si tempus non sit præfixum, parte opportunè petente datur tamen in dilatione parvitas materiæ.

Quod si pars à sponsalibus injustè resiliat, aut tergiversetur, potest cogi per judicem, etiam censuris.

Si tamen prudenter timeretur ex coactione malus exitus, v. g. ne coactus fictè contrahens, comparti gravia inferret damna &c. servandum est quod habetur capit. *Requisivit* de Sponsalibus & aliis capit. ubi dicitur *pars quæ renuit implere sponsalia, monenda potius quàm cogenda.*

Secundus est impedimentum publicæ honestatis: de quo supra.

Tertius secundùm communem, est jus quoddam quod sponsi in mutua corpora acquirunt, quo fit ut si alteruter cum aliquo tertio fornicetur, non tantùm peccet contra castitatem, sed

etiam contra justitiam, quæ malitia injustitiæ fornicationi superaddita, secundùm multos, universaliter est mortalis, adeoque explicanda in confessione. Hurtado, Coninck &c.

Alii tamen æquè probabiliter, volunt eam malitiam injustitiæ solum esse venialem, Covar. Vivaldus, Pontius &c.

Alii deniquè ut Filliuc. Sanchez &c. docent eam malitiam esse mortalem in sponsâ, adeoque ab eâ & ejus complice esse confitendam, in sponso autem esse tantùm venialem, adeoque nec ab illo, nec ab ejus complice esse confitendam necessariò.

Disparitatis ratio petitur ex eò quòd sponsa fornicando ex communi hominum judicio reddat se multò viliorem, & deteriorem, quam sponsus similiter fornicando.

Q. 7. *Quas ob causas sponsalia dissolvi possint?*

R. Dissolvuntur 1. mutuo sponsi, & sponsæ consensu, quamvis sint jurata. Et hæc dissolutio non tantùm est valida, sed etiam licita.

2, Per matrimonium validè contractum cum alterâ personâ, non tamen si sit invalidè contractum, neque per secunda sponsalia etiam jurata cum alterâ personâ: quamvis pars nocens, hoc ipso quod cum aliâ contrahere attentat, aut promittit, censeatur compartem liberare (non tamen seipsam) ab obligatione sponsalium.

3. Per Professionem, aut vota substantialia, in Religione approbata. Item per susceptionem Ordinis sacri.

De eo autem qui solùm Religionem ingressus est, aut votum fecit eam ingrediendi, dicendum est.

1. Talem hoc ipso censeri renunciare sponsalibus, adeoque alteram partem deobligari; quod maximè verum est quoad ingredientem, cùm hoc adfe-

adferat notabilem mutationem.

2. Ingredientem, aut promittentem, non liberari absolutè ab obligatione sponsalium: sed si egrediatur, vel per dispensationem, aut aliter ab ingressu liberetur, debere matrimonium contrahere, si pars adhuc velit, quia licèt jura permittant sponsis Religionem ingredi, nusquam tamen illos liberant simpliciter ab obligatione sponsalium. Præpos Coninck. Pontius, &c.

An autē per votū perpetuęcastitatis in sæculo, aut Sacri Ordinis suscipiendi superveniens sponsalibus, eadem dissolvantur, etiam ex parte voventis, variant sententiæ. Negant Sanchez, Coninck, Hurtado &c. quia tale votum est de re illicitâ, utpote contra jus alterius partis. Affirmant Henriq. Sotus, Pontius, Mœratius, &c. volentes promissioni sponsalitiæ, hanc tacitè conditionem inesse *nisi voluero transire ad statum meliorem.*

4. Dissolvuntur per superveniens impedimentum matrimonii; ut si sponsus affinitatem cum sponsâ contrahat, cognoscendo ejus sororem. Quamquam secundùm multos possit pars, quæ suâ culpâ impedimentum posuit, à comparte cogi, ut dispensationem procuret, & eâ obtentâ, matrimonium promissum contrahat.

5. Per fornicationem sponsi aut sponsæ cum tertiâ personâ post contracta sponsalia. Capit. *Quemadmodum* de Iurejurando. Idem dicendum ex communi, si sponsa permiserit se ab alio turpiter tangi, quia sic habetur impudica, & fit notabiliter vilior: quod Hurtadus etiam extendit ad sponsum aliam impudicè tangentem, quod negant Sanchez, & alij communiùs, quòd nolint sponsum per hoc fieri notabiliter viliorem.

Cæterùm istis casibus non solvuntur sponsalia, nisi ex parte innocentis, si velit.

Quòd si utraque pars fornicata sit, putat pro-

babiliter Bonac. neutram resilire posse, quia delictum unius delicto alterius compensatur, sicut in utriusque conjugis adulterio. Coninck tamen, Diana, & alii docent solum sponsum eo casu resilire posse, quia licèt quoad fidei fractionē fiat æqualis compensatio, disparitas tamen est quòd sponsa sit facta notabiliter vilior, non sponsus. Quæ ratio in conjugatis per ordinem ad divortium, spectari non debet.

6. Per moram culpabilem partis. Hoc ipso enim quo alteruter culpabiliter est in morâ, ne nuptiæ præfixo tempore contrahantur, censetur alteri obligationem remittere, quamvis ipse adhuc maneat obligatus, si alter velit, contractum perficere. Quòd si mora fuerit inculpabilis, v. g. ob morbum, tenetur alter expectare aliquamdiu, juxta arbitrium boni viri, nisi terminus præfixus fuerit ad finiendam obligationem.

7. Per discessum unius in terras procul dissitas, absque alterius licentiâ. Vide capit. *de illis* de sponsalibus. Ex quo contra quosdam colligitur tunc non esse necesse expectare triennium à jure Civili constitutum, leg. 2. Cod. de repudiis. Quòd si sponsus cum sponsæ licentiâ discesserit, expectandum est præfixum tempus reditûs. Quòd si tunc non redierit, dicendum est ut supra de morâ.

8. Per quamcumque mutationem notabilem supervenientem sponsalibus, quæ si præcessisset, effecisset, ne iniremur sponsalia: ut si superveniat notabilis deformitas, aut infirmitas alterutri sponsorum. Item paupertas, infamia, sponsæ corruptio, etiam per vim, magna mutatio morum in pejus, aut fortunarum etiam in melius &c.

Idem dicendum si quid istorum antea latens, post contracta sponsalia detegatur, & nominatim si quæ virgo putabatur, cognoscatur fuisse corrupta, etiam per vim. Si tamen sponsus cognoscatur

ante sponsalia semel aut iterùm fornicatus, non censetur causa sufficiens ut sponsa resiliat. Si tamen cognoscatur pellicum amoribus fuisse antea deditus, aut plures illegitimas proles suscepisse, sponsæ liberum est, non tamen sponso, sponsalia solvere.

CAPUT II.

De Matrimonio ut est Sacramentum.

Q. 1, *An Matrimonium sit verè & propriè Sacramentum novæ Legis* ?

R. Affirm. est de fide ex Conc. Florent. & Trid. pluribus locis, & nominatim Trid. sess. 24. can. 1. ubi expresè id definit contra Luth. & Calvin. aliosque hæreticos. S*i quis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem Legis Evangelicæ Sacramentis à Christo Domino institutum, anathema sit.*

Q. 2. *Quis sit effectus hujus Sacramenti, & quæ dispositio ad illud necessaria* ?

R. Effectus ejus est gratia sanctificans cum auxiliis ad onera matrimonii christianè ferenda. Dispositio autem ad illud necessaria, ut licitè suscipiatur, est status gratiæ, cùm sit Sacramentum vivorum, non tamen necessariò confessio, saltèm jure communi. Quod addo, quia jure particulari quarumdam Ecclesiarum, præcipitur confessio.

Q. 3. *Quis sit minister hujus Sacramenti* ?

R. Esse ipsos contrahentes. S. Thom. Scotus, Sanchez, Suares, & alii communissimè, contra

Canum, Estium, Sylvium, & paucos alios, volentes esse Sacerdotem.

Prob. 1. ex Florent. dicente: *septimum est Sacramentum matrimonii &c. causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, atqui consensus ponitur à contrahentibus, ergo ipsi sunt causa efficiens, seu ministri matrimonii, non tantùm quatenus est contractus (ut vult Sylvius) sed etiam quatenus est Sacramentum, cum de illo ut tali agat Florent.

Prob. 2. ex Trid. sess. 24. in proemio de matrimonio, ubi in hoc tantùm ponit discrimen inter matrimonium legis veteris & novæ, quod in novâ lege conferat gratiam, adeoque sit verum Sacramentum, nullâ factâ mentione Sacerdotis tamquam ministri, nec verborum illius tamquã formæ. Et ibid. Can. 1. generatim absque ullâ exceptione definit matrimonium, (scilicèt Christianorum) esse Sacramentum. Item ibid. C. 1. de reform. matrimonii: dicit matrimonia clandestina facta sine præsentiâ Sacerdotis, fuisse vera, & rata matrimonia ante Trid. ergo Sacerdos ante Trid. non erat minister hujus Sacramenti, ergo neque post. Quia quamvis Trid. requirat præsentiam Parochi, non idcirco constituit illum ministrum.

Nec refert quod Trid. ibidem præcipiat, ut Parochus intellecto contrahentium consensu, dicat: *Ego vos conjungo &c.* quia per hoc non præscribit formam Sacramenti essentialem, cum expressè addat posse illum uti aliis verbis, secundùm cujusque Provinciæ morem, non indicando ea debere esse aliis æquivalentia.

Quando autem CC. & PP. docent nuptias esse sanctificandas Sacerdotali benedictione, non agunt de assistentiâ parochi dicentis: *Ego vos conjungo &c.* quam adversarii volunt esse formam essentialem,

ſed de benedictione cæremoniali, quæ ſolùm adhibetur tamquam aliquid pertinens ad ſolemnitatem, non ad eſſentiam, ut patet ex eo quòd Eccleſia eam non adhibeat temporibus Adventûs, & Quadrageſimæ, nec in ſecundis nuptiis.

Q. 4. *Quæ ſit materia, & forma hujus Sacramenti?*

Qui docent miniſtrum hujus Sacramenti eſſe Sacerdotem, conſequenter docent actus contrahentium eſſe materiam, formam verò hæc verba Sacerdotis: *Ego vos conjungo &c.* quæ opinio jam rejecta eſt.

Ex iis autem qui nobiſcum ſentiunt de miniſtro, aliqui aſſignant pro materiâ mutuum contrahentium conſenſum, quatenus eſt traditio, & pro formâ eundem, quatenus eſt acceptatio poteſtatis corporum. Ita Suar. Bellarm. Sanchez, Tanner. Coninck, & alii.

R. Probabiliùs pro materiâ aſſignantur corpora contrahentium; pro formâ, verba aut alia ſigna conſenſum exprimentia. Vaſq. Mœratius, Pontius, & alii.

Prob. quia non debet aſſignari alia materia, & forma matrimonii ut eſt Sacramentum, quàm ut eſt contractus, cùm Chriſtus contractum matrimonialem nullâ in eo factâ mutatione quoad materiam, formam, & miniſtrum, elevaverit ad eſſe Sacramenti: atqui materia contractûs matrimonialis ſunt corpora contrahentium, forma verò, verba, aut alia ſigna expreſſiva mutui conſensûs, ut patet ex omnibus aliis contractibus, quorum materia ſunt id circa quod contractus verſatur, forma autem conſenſus legitimè expreſſus, ergo &c.

CAPUT III.

De consensu ad Matrimonium requisito.

Q. 1. *Qualis esse debeat consensus contrahentium?*

R. 1. Requiritur consensus mutuus, quia matrimonium consistit in contractu, qui essentialiter consensum contrahentium includit, ex quo sequitur nullâ potestate humanâ posse matrimonio conjungi nolentes.

2. Requiritur consensus perfectè deliberatus, hoc est factus cum eâ advertentiâ rationis, quæ requiritur ad peccandum mortaliter, id enim requirit gravitas obligationis, quam contrahens sibi imponit.

3. Consensus ille debet exteriùs exprimi, & ad alterum dirigi, cum ab illo debeat acceptari. Et licèt ordinariè, & quantum fieri potest, exprimi debeat per verba, id tamen non est absolutè necessarium, sed sufficit quodvis aliud signum, sufficienter illum notificans.

4. Utriusq; consensus debent esse simul moraliter, non necessariò physicè; sed sufficit quod prioris consensus perseveret, dum exprimitur consensus alterius, sic nempè ut nec explicitè, nec implicitè revocatus sit, aut censeatur revocatus.

Q. 2. *In quid ferri debeat consensus matrimonialis?*

R. Ferri debet in translationem dominii sui corporis, in ordine ad actum conjugalem, seu copulam. Non est tamen necesse ut translatio illa intendatur explicitè (cum multi, præsertim rudes, contrahant qui id nesciunt, nec expresè intendunt) sed sufficit si intendatur saltem confusè, volendo id facere quod fieri solet per contractum matrimonialem: debet autem intendi illa translatio dominii in perpetuum, ut proindè si quis il-

lam intenderet tantùm ad certum tempus, matrimonii naturam everteret.

Q 3. *An necesse sit ut intentio contrahentium feratur, saltèm confusè in copulam?*

R. Neg. quia potest quis validè contrahere, cum voluntate ingrediendi religionem, aut simul cum comparte vovendi, ac servandi perpetuam castitatem, ut jam dicetur: aut etiam cum voluntate sēper(quamvis injustè)comparti negandi copulam. Et verò B. Virgo & S. Iosephus verè contraxerunt matrimonium, non intendendo copulam &c. cùm illa monita sit ab Angelo se concepturam de Spiritu Sancto &c.

Q. 4. *An matrimonium validè ineatur cum pacto nunquam eo utendi?*

R. Affirm. Vasq Coninck, Præp. Pontius &c contra Sanchez, Layman, & alios.

Prob. Quia translatio dominii alicujus rei in ordine ad aliquem usum consistere potest cum pacto non utendi, quia nempe formaliter loquendo, per dominium tantùm habetur potestas utendi radicalis & remota, non verò proxima, & expedita.

Hinc secundùm omnes, potest quis accepto rei dominio, postea se obligare ad non utendum re illâ, & nominatim conjuges post initum matrimonium, possunt pacisci se eo non usuros: ergo iidem possunt illud matrimonium inire cum simili pacto.

Nota matrimonii cum tali pacto initi, adhuc futuros hosce effectus.

1. Neuter absque compartis injuriâ posset alteri dare usum corporis sui.

2. Si durante pacto unus alteri vim inferret, non committeret adulterium, licèt peccaret contra justitiam pacti, & proles inde orta esset legitima.

3. Posset uterque ius expeditum acquirere, si sibi invicem obligationem istam remitterent.

Q. 5. *An consensus metu extortus, sufficiat ad matrimonium?*

R. Non sufficere, si sit ex metu gravi injustè incusso ad extorquendum consensum, quia licèt probabilius sit omnem contractum, adeoque & matrimonialem spectato jure naturæ tali casu esse validum, contractus tamen matrimonialis specialiter irritatur Iure Eclesiastico, cap. *veniens*, & capit. *consultationi tua*, de sponsalibus.

Ratio est, quia si esset validus, cùm naturâ suâ sit insolubilis, non posset postea rescindi, sicut possunt alii ex tali metu initi.

Dixi 1. *ex metu gravi*, saltèm respectivè, id est habito respectu ad personam cui incutitur, nam si sit levis metus, non invalidat matrimonium.

Dixi 2. *injustè incusso*, quia si justè incutiatur (ut si puella minetur se accusaturam eum à quo vim passa est, vel si Iudex minetur se graviter puniturum, nisi illam ducat) non invalidat.

Dixi 3. *ad extorquendum*, &c. quia consensus ex metu, seu justo, seu injusto, sed non incusso ad extorquendum consensum, sufficit ad matrimonium.

Hinc si quis ad placandum inimicum, quem videt sibi aliâ de causâ mortem intentare, ducat ejus filiam, valet matrimonium, quamvis consensus ortus sit ex metu gravi, & injustè incusso.

Item valet matrimonium si quis justè vel injustè in carcerem detrusus, vel capitis damnatus, puellam ducat, cujus ope evasurus est.

Item si alicui mortem promerito condonetur vita, modò talem ducat.

Nota ad invalidandum matrimonium ex metu, nihil interesse, an metus ille incutiatur à contrahente, an ab aliis, etiam illo inscio.

Item, an metus ipsis contrahentibus, an eorum propinquis, v. g. patri, matri, sorori, &c. incutiatur. Denique an metus incutiatur ad contrahendum cum unâ determinatè personâ, an disjunctivè cum hâc vel illâ, immò licèt tantùm incutiatur ad contrahendum cum quâ placuerit personâ, quia tunc metus incutitur ad extorquendam ipsam actûs substantiam, Vide de his Bonac. Præpos. &c.

Q. 6. *An contractus matrimonialis alioqui ob metum irritus, firmetur juramento?*

R. Neg. nam si pars metu adacta juret se de præsenti alteram in conjugem accipere, juramentum non firmat contractum, cum is ipso jure nullus sit: si verò juret se postea ratum habiturum quod jam facit, tunc solùm vim habet sponsalium juratorum, quæ licèt pariant obligationem in futurum, secundùm communiorem, contra Sanchez, facilè tamen rescindi possunt.

Q. 7. *Quid si pars postquam prædicto metu adacta in matrimonium consensit, etiam consentiat in copulam?*

R. Si copula fiat cessante metu, censetur novus consensus, & libera ratificatio ejus quod factum est, ac proinde firmat matrimonium, ubi Trid. non est receptum. Immò etiam ubi receptum est, modò metus ita fuerit occultus, ut nullitas matrimonii alioqui coram parocho & testibus contracti, probari non possit in foro externo. Si verò copula fiat adhuc durante eodem, aut simili metu, non firmat matrimonium.

Q. 8. *An qui metu adigitur ad matrimonium, possit fingere consensum?*

R. Si citra mendacium possit fingere, fingat, alioqui liberè potest verum consensum elicere, quia perinde matrimonium nullum erit, nec licebit illo uti.

Q. 9 *An, & quando sufficiat consensus conditionatus ?*

R. 1. Si quis consentiat sub conditione de præsenti, vel præterito, eâ subsistente, statim subsistit matrimonium, eâ deficiente, est irritum. Est communis, licèt Coninck censeat matrimonium manere suspensum, donec eventus conditionis contrahentibus innotescat.

R. 2. Conditio honesta de futuro, suspendit valorem matrimonii donec purificetur. eâ autem purificatâ probabilius est validum reddi matrimonium absque novo consensu.

Prob. prima pars, quia alii contractus ita fieri possunt, neque hîc est ratio specialis : ergo &c.

Secunda pars quam tenent Sanchez, Coninsk, Layman, Hurtado, Sylvius, Præpos. Lugo, contra varios, prob. quia cæteri contractus conditionati transeunt in absolutos, absque novo consensu hoc ipso quo purificatur conditio, ergo etiam matrimonialis.

Nec refert quòd alia Sacramenta non possint fieri sub conditione de futuro, disparitas enim est quòd in aliis Sacramentis totum materiale Sacramenti consistat in externâ actione, quæ quando ponitur, absolutè ponitur, ac proinde ut suspenderetur Sacramentum per aliquam conditionem de futuro, deberet posse suspendi ejus valor, posito toto materiali, quod ex Christi institutione nobis per Ecclesiam sufficienter intimatâ fieri non posse diximus tract. de Sacramentis in genere, cap 3 q. 2. resp. 3. at in nostro casu, ipsum materiale Sacramenti, scilicet contractus, est quid suspendibile, unde ratione illius, suspendi potest hoc Sacramentum. In hoc tamen cum aliis convenit, quod posito materiali suo completo, quod est contractus absolutè subsistens, non possit manere suspensum.

Nota 1. Conclusionem hanc solùm procedere in personis ad contrahendum habilibus, quamvis aliqui eam extendant ad habentes impedimentum dirimens, qui contraherent sub conditione tollendi impedimentum, v. g. hâc, *si Papa dispensaverit.*

Nota 2. cum opposita sententia de renovando consensu, sit etiam valde probabilis, omninò curandum esse in praxi, ut purificatâ conditione renovetur consensus, & exprimatur absolutè de præsenti coram parocho &c.

Nota 3. in nostrâ sententiâ, quod matrimonium conditionatum possit transire in absolutum sine novo consensu, adhuc dubium esse an ubi Trid. est receptum, debeat impletio conditionis fieri coram parocho, & testibus. An verò sufficiat contractum conditionatum fuisse factum coram parocho &c. videtur sufficere, si parochus & testes certò sciant conditionem esse impletam. Vide Dianam part. 3. Tract. 4. res. 291.

Nota 4. si pendente conditione unus contrahentium, etiam altero ignorante, consensum revocet, nec illum renovet ante eventum conditionis, tum adveniente conditione, nullum esse matrimonium ex cap. finali, de Procuratoribus in 6. ubi idem dicitur de matrimonio per procuratorē, si ātequā contrahatur, principalis cōsensū revocaverit.

Q. 10. *An sufficiat consensus fictus?*

R. Non sufficere, uti dictū est de aliis cōtractibus.

Hinc 1. Qui post talem consensum cum unâ, seriò contrahit cum aliâ, validè contrahit: ac proinde non potest cum priore copulari, quamvis à Iudice, cui invaliditas illa probari non potuit ad id adigatur etiam per censuras. Ratio est, quia nulla Iudicis authoritas facere potest ut licitus sit accessus ad alienam.

2. Qui sic contrahit, graviter peccat contra justitiam, teneturque ad satisfaciendum parti quod

ordinariè secutâ præsertim copulâ, sufficienter fieri non potest nisi cum eâdem seriò contrahendo.

Excipe 1. quando metus incussus & gravissimus dedit causam fictioni, fuitq; fictio tantum in contractu matrimonii, non autem in ipsũ Sacramentum.

2. nisi ex circũstantiis prudenter adverti potuerit fictio.

3. nisi ex matrimonio timeantur gravia scandala.

Q. 11. *An ad valorem matrimonii requiratur consensus parentum?*

R. Etsi requiratur parentum consensus ut matrimonium legitimè, & citra peccatum contrahatur, is tamen non requiritur per se ad valorẽ matrimonii. Cap. *sufficiat* 24. q. .2. ubi dicitur. *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur.*

Item cap. 6. de raptoribus, ubi Pontifex declarat validum matrimonium puellæ, quam miles volentem abduxerat, & in uxorem acceperat, reclamantibus parentibus.

Item ex Trid. sess. 24 c. 1. de reform. ubi damnat hæreticos asserẽtes matrimonia à Filiis fam. sine consensu parentum contracta esse irrita, & parentes ea rata, vel irrita facere posse.

Coll. graviter peccare filios fam. sine rationabili causa contrahendo, parentibus rationabiliter invitis. Addit Pontius matrimonia filiorum fam. invitis parentibus contracta olim fuisse irrita jure Ecclesiastico, sicut jam sunt clandestina per Trid. sed hoc posteà in desuetudinem abiisse.

Q. 12. *An parentes possint filios suos exhæredare, si ipsis rationabiliter invitis matrimoniũ contraxerint?*

R. Cum id affirment multi, alii probabiliter negent, eoquod filii utantur absolutè jure suo, & aliundè legitima sit illis jure debita, videnda est praxis variorum tribunalium. De his consule Sanchez, Præposit &c.

An autem requiratur consensus Principis, aut

Rei-publicæ, vide Dianam, p. 7. Tract. 1. resolut. 23. & sequent. ubi quæstionem hanc fusè tractat. Item Hurtado. Pontium. Vasq. Sanchez, Henriq. Coninck. &c.

CAPUT IV.

De Matrimonio Clandestino.

MAtrimonium clandestinum est duplex. Unum quod simpliciter dicitur tale, est quando contrahitur sine parocho, & testibus. Alterum dicitur clandestinum secundùm quid, quando contrahitur sine præviis denunciationibus, seu proclamationibus, idque sine dispensatiōe. Agimus præsertim de primo.

Q. 1. *An matrimonium clandestinum sit validum?*

Suppono matrimonia clandestina primo modo, licèt non videantur jure naturæ illicita ex intrinsecis, semper tamen fuisse jure ecclesiastico prohibita: quamquam antè Trid. (saltem per multorum annorum spatium). non fuerint irrita. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform.

R. In locis ubi Trid. quo ad hoc receptum est, matrimonium Clandestinum non tantùm illicitum est, sed etiam invalidum. Ita Trid. loco cit. expressè his verbis. *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentiâ, & duobus vel tribus testibus matrimoniū contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit.*

In locis tamen ubi Trid. quo ad hoc non est receptum, adhuc validum est ejusmodi matrimonium clandestinum, licèt sit illicitum.

Dixi *Quoad hoc*: quia nonnullæ sunt Provinciæ,

quæ licèt Trid. decreta mores concernentia universaliter non recipiant, in hoc tamen se illi conformarunt.

Q. 2. *An nullo casu matrimonia clandestina sint valida ubi Tridentinum est publicatum?*

Ratio dubitandi est primò de ignorantibus legem Trid. cum enim Trid. dicat; *qui aliter cõtrahere attẽtabunt &c.* Videtur quod ly *attentare*, connotet in attentante notitiam legis, aut saltem ignorantiam affectatam. 2. pro casu necessitatis, ut si quispiam morti proximus velit contrahere cùm suâ concubinâ ad legitimandam prolem.

R. Neutro illorum casuum valere matrimonium clandestinum.

Non 1. Quia ly *atttentare* non debet sumi in eo rigore, ut sensus & praxis Ecclesiæ sufficienter declarant.

Non 2. Quia lex Trid. non tantùm est prohibens, sed etiam irritans, perinde ac ea lex ecclesiastica quæ matrimonium invalidat inter consanguineos &c. Quæ citrà dispensationem nullo necessitatis casu robur amittit.

Q. 3. *Quid dicendum de Hollandis &c. qui contrahunt absque Parocho, cùm tamen constet in Hollandiâ Trid. fuisse publicatum & receptum?*

R. Quamvis Greg. XIII. aliquando responderit Episcopo Harlemensi matrimonia in Hollandiâ, Zelandiâ, Frisiâ &c. ubi Tridentinum olim publicatum est, facta aliter quàm præsente Parocho, &c. esse invalida: postea tamen Bellarminus ex mente Pontificis eâ de re consulti in Congregatione Cardinalium, scribens ad Nuntium Apostolicum in Belgio, anno 1600. ac deinde ad Episcopum Ruremundanum, ac postea ipsamet Congregatio Cardinalium scribens anno 1603. ad Archiepiscopum Philippensem, declararunt tunc tantùm esse in-

valida illa matrimonia, quando facilè haberi potest proprius Parochus: aliàs si Parochia careat Parocho, vel alio ejus vices supplente: item si illos quidem, vel etiam Episcopum habeat, sed si lateant metu hæreticorum, nec sciatur ubi sint, vel si sciatur quidem, sed non sit tutus ad eos accessus, matrimonia validè contrahi, modò fiant cum duobus saltem testibus. Vide pro his Præpos. q. 4. n. 47. Coninck. disp. 27. n. 11.

Col. 1. In hujusmodi locis, in quibus Trid. fuit quidem publicatum, sed jam tantùm permittitur exercitium religionis (ut aiunt) reformatæ, matrimonia etiam hæreticorum fore valida, licèt contrahantur coram ministro hæretico, vel solis testibus: quia vel hæretici ipsi etiam carent vero & proprio Parocho, vel nesciunt ubi sit, vel quāvis sciant, tamen non est tutus ipsis accessus ad Parochum Catholicum propter suos concives hæreticos.

Quòd si ibidem liberum sit utriusque Religionis exercitium, adhuc tamen Tannerus disp. 8. q. 3. n. 122. & Layman hîc cap. 4. n. 6. docent matrimonia hæreticorum ibi valida fieri sine Parocho ex tacitâ Pontificis id scientis, nec reclamantis, dispensatione. Unde eorum liberi à Catholicis, & Ecclesiâ habentur legitimi.

Coll. 2, Si alicubi per longum tempus, v. g. per annum, deesset Parochus respectu omnium, v. g. in novo orbe, ubi Trid. publicatum est, & jam Parochi desunt: vel etiam in Civitate obsessâ, probabiliter matrimonia ibi validè posse contrahi sine Parocho, &c.

Proinde Sanchez lib. 13. disp. 17. n. 4. dicens contrarium esse certum, non viderat illam sive Bellarmini, sive Congregationis Cardinalium responsionem.

Q. 4. *An qui habēt domiciliū in loco ubi Trid quoad*

hoc non est receptum v. g. in Angliâ, validè contrahant clandestinè in Belgio ubi est receptum?

R. Neg. quia contractus fieri debet juxta leges loci in quo fit. Capit. ult. de foro competenti.

Q. 5. *An è contra Belgæ validè contrahant in Angliâ clandestinè?*

R. Affirm. quod probabiliter etiam verum est licèt in Angliam trajecerint eo tantùm animo ut ibi contraherent, mox in Belgium redituri. Sanchez lib. 3. disp. 18. n. 29. Bonac. q. 2. p. 7. n. 2. & alii contra Sylvium q. 45. supplemen. art. 5. q. 4. Ratio est, quia ex cap. citato, etiam peregrini quoad contractus, sortiuntur forum loci in quo contrahunt.

Nec refert quod id videatur fieri in fraudem legis, quia cum jus habeant eo se conferendi, & ibi contrahendi, propriè nihil committunt in fraudem legis. Nam ut habet Reg. 55. de regulis juris *: nullus videtur dolo facere qui suo jure utitur.*

Nota matrimonium celebratum in facie Ecclesiæ, quod opponitur matrimonio clandestino, esse illud, non quod necessariò celebratur in Ecclesiâ seu Templo, (quamvis omninò indecens sit, nec permittendum ut alibi quàm in loco sacro celebretur) sed quod celebratur coram Parocho, & testibus, & ritu ab Ecclesiâ præscripto.

Q. 6. *Quinam intelligantur nomine Parochi, coram quo celebrandum est matrimonium?*

R. Nomine parochi intelligitur is qui est, vel utriusque, vel saltem alterius contrahentis proprius quo nomine etiã venit Episcopus, & ejus vicarius: item Vicarius parochi, capitulum sede vacante, Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, legatus à latere in territorio suæ legationis, Cardinales in Ecclesiis suorum titulorum, Archiepiscopus in Diœcesibus suorum suffraganeorum dum eas actu visitat. Item quilibet Sacerdos etiam regula-

gularis habens ad id facultatem ab aliquo ex dictis.

Potest autem Parochus matrimoniis suorum assistere in alienâ Parochiâ, modò in eâ non benedicat nuptias sine consensu Parochi istius loci.

Validè etiam assistit Parochus excommunicatus, adeòque & suspensus ab officio, quia assistens nihil agit., sed merè passivè se habet. Non potest tamen talis alterum suo loco delegare, quia delegatio est actus jurisdictionis.

Q. 7. *Quinam censeantur parochiani alicujus Parochiæ in ordine ad contrahendum matrimonium?*

R. Ad id non requiri domicilium, sed sufficere quasi domicilium, quod est habitatio etiam inchoata pro majore parte anni: quia talis habitatio sufficit ad Sacramenta communionis, & confessionis paschalis. Ita Sanchez, Sà, Sylvius, & alii communiter: estque omninò praxis recepta, etsi Synodus Cameracensis quosdam DD. secuta aliud olim decrevisse dicatur.

Unde sequitur studiosos in academiis, milites in præsidiis, famulos, opifices, mercatores &c. qui majore parte anni alicubi habitant, vel habitaturi venerant, posse coram parocho loci contrahere.

Quoad vagos attinet, eorum matrimonio validè assistit parochus loci in quo sunt. Sed Trid. sess. 24. c. 7. de reform. vetat id fieri sine facultate Episcopi.

Peregrini autem tantùm possunt validè contrahere coram Parocho domicilii quod habent in Patriâ. Si tamen Patriam deserant animo peregrinandi majore anni parte, possunt tempore peregrinationis haberi instar Vagorum. Vide Sanchez lib. 3. disp. 23. n. 14.

Q. 8. *Quot, & qui testes requirantur ad valorem Matrimonii?*

R. Præter parochum, duo ut minimùm testes

ſunt neceſſarii, quorum nomina, uti & conjugum, ex præcepto Trid. graviter obligante, referre debet Parochus in librum. Item diem, locumque contractûs. Non eſt neceſſe eos teſtes eſſe omni exceptione majores. Aſſumi enim poſſunt etiam fœminæ, impuberes, conſanguinei, Parentes, Religioſi, &c. qui omnes poſtea etiam in judicio ſufficient, ſi lis oriatur.

Nota tam parochum, quàm teſtes, debere aſſiſtere non tantùm phyſicè, ſed etiam moraliter, hoc eſt audire, & intelligere quid rei agatur. Non eſt tamen neceſſe ut ſint vocati, aut ad eum finem venerint, immò valebit matrimonium, quamvis violentè, & reclamantes aſſiſtant.

Q. 9. *Quid denuntiationes, & quomodò præmitti debeant matrimonio?*

R. Denuntiatio, eſt proclamatio futuri matrimonii, expreſſis contrahentium nominibus, ut ſi qui extra confeſſionem ſciant aliquod impedimentum intercedere, illud declarent. Illa denuntiatio fieri debet tribus diebus feſtivis continuis ab utriuſque contrahentis parocho, inter Miſſarum ſolemnia, niſi ex causâ Ordinarius diſpenſet. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de refor.

Nota 1. Proclamationes iſtas præmittendas eſſe matrimonio, niſi probabilis adſit ſuſpicio illud poſſe malitioſè impediri, tunc enim permittit Trid. unicam præmitti, aut etiam nullam, ſi hoc putetur neceſſarium ad amovendum periculum. Hoc tamen caſu denuntiationes ſunt faciendæ ante conſummationem matrimonii, niſi Ordinarius ex causâ rationabili diſpenſet.

Nota 2. quamvis denũtiationes non ſint de eſſentiâ, tamen eum qui illis omiſſis contrahit, peccare mortaliter.

Nota 3. Factis denuntiationibus, eos omnes obligari ad impedimenta detegenda, qui eorum extra

confeſſionem notitiam habert.

Nota 4. Quãvis denuntiationes fieri debeãt in Parochiâ utriuſque contrahentis ſi ad diverſas parochias ſpectent, ſi tamen ſint diverſæ Diœceſis, & velint obtinere diſpenſationem, Sanchez, & alii putant ſufficere utriuſvis Ordinarii diſpẽſationem. Pontius tamen probabiliter requirit utriuſque. Conſulenda praxis locorum.

Q. 10. *Quid Benedictio nuptiarum, & quando adhibenda?*

R. Benedictio nuptiarum, quæ & matrimonii ſolemnizatio dicitur, eſt ritus per modum Sacramentalis ex Eccleſiæ inſtitutione poſt matrimonium quoad eſſentialia perfectum, ſponſis in Eccleſiâ adhiberi ſolitus ad majorem ſolemnitatem, & honorem Sacramenti ut myſticè ſignificantis conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. Ea adhibenda eſt ſuo tempore ex præcepto in primis nuptiis, non tamen in ſecundis, ſaltèm quando uterque conjux aliàs benedictionem accepit.



CAPUT V.

De Matrimonii indiſſolubilitate.

Q. 1. *An & quo jure matrimonium ſit indiſſolubile?*

Nota duplicem hîc diſtingui matrimonii indiſſolubilitatem, unam quoad vinculum, ſeu quoad mutuam tranſlationem dominii corporum, alteram quoad thorum, ſeu quoad obligationem ſimul habitandi, & ſibi invicem debitum conjugale reddendi.

R. 1. Matrimonium ſeu fidelium, ſeu infidelium, ſeu conſummatum, ſeu non conſummatum, indiſſolubile eſt poteſtate humanâ, ſaltèm purâ, nempe quoad vinculum: nam quoad thorum, ſolubile eſt ex mutuo conjugum conſenſu. Cur addiderim ly *ſaltèm purâ*, patebit ex ſequentibus.

R. 2. Matrimonium eſt indiſſolubile tum jure naturæ, tum jure Divino poſitivo.

1. pars, quæ eſt Eſtii, Præpoſ. Pontii, & aliorum contra varios apud Sanchez probatur: quia matrimonium ſecundum ſe ordinatur ad rectam prolis educationē, ergo ex rei naturâ debet eſſe indiſſolubile: alioqui enim prolis educatio facilè negligeretur, & mutuus amor inter conjuges ad matrimonii fines neceſſarius minueretur.

Confirm. de matrimonio conſummato: quia ſi illud eſſet ex naturâ rei ſolubile, ſequeretur ſimplicem fornicationem eſſe licitam jure natura-

li, quia nempè possent duo tradere sibi invicem mutuum dominium in sua corpora ad aliquot horas, annos &c.

Prob. 2. pars ex illo Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo Patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne unâ.* Et ex Matt. 19 ubi Christus matrimonium ad suam primævam conditionem revocans, præceptum de illius indissolubilitate verbis universalibus, ac proinde etiam respectu infidelium restaurat. v. 4. *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit propter hoc dimittet homo &c.* tum subjungit Christus *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

Quo tamen non obstante, potest Deus quodlibet matrimonium quantumvis consummatum tamquam supremus creaturarum omnium & jurium illarum dominus dissolvere, etiam quoad vinculum, tollendo utrique conjugi dominium in corpus alterius. Immò probabilius est de facto illud solvisse in lege Mosaïcâ per libellum repudii, quem per Moysen Iudæis permisit Deus 24.

Q. 2. *An, & quomodo matrimonium ratum aliquando dissolvi possit?*

R. 1. Matrimonium ratum, seu non consummatum, dirimitur per solemnem Religionis professionem alterius conjugum Trid. sess. 24. can. 6.

Dixi *per solemnem Professionem, &c.* quia non sufficit qualiscumque votorum Religiosorum emissio, etiam in Religione approbatâ, nam vota simplicia Societatis post biennium emitti solita, licèt constituant verè & propriè Religiosum, & post Bullam *Ascendente Domino* dirimant matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt matrimonium ratum jam contractum, nisi accedat professio.

Nota ex capit. *Ex publico* de conversione conju-

gatorum concedi duos menses à die contracti matrimonii, intra quos possunt conjuges deliberare, velintne Religionem ingredi? ac proinde per illud tempus non tenetur compars alteri debitum reddere. Eo tamen expleto, tenetur matrimonium consummare parte exigente, aut certè Religionem ingredi. Immò licèt conjux injustè ad longius tempus distulerit consummare, adhuc potest intrare Religionem. Sylvest. Hurtado &c. dum autem conjux Religionem ingreditur, compars tenetur toto probationis anno expectare antequam possit cum altero contrahere. Sanchez & alii.

R. 2. Probabilius est Pontificem etiam posse ob gravissimas causas matrimonium ratum solvere. Sanchez, Bonac. Lessius, Layman & alii. Cajet. to. 1. opusculorum tract 28. testatur Martinum V. & Eugenium IV. illud dissolvisse, & suo tempore id pluries factum. Idem tenet Navarrus in Summâ c. 22. n. 21. attestans ter vel quater ad petitiones suo Consilio oblatas, Paulum III., & Pium IV. similiter dissolvisse. Item Henriquez & Præp. qui id testantur de Greg XIII. & alii plures contra Sotum in 4 dist. 27. q. 1. ar. 4. concl. 3 §. *alia verò*; & plurimos alios, maximè Thomistas.

Prob. quia Pontifices eam potestatem in se agnoscunt, & reipsà sæpè dispensarunt in matrimonio rato; ergo possunt. Alioqui enim fatendum esset tot Pontifices errasse in re gravissimi momenti.

Adde Pontificem dum matrimonium ratum dissolvit id non facere authoritate purè humanâ, seu potestate ordinariâ gubernativâ, sed particulari & extraordinariâ quæ specialiter censeri debet divina, sicut cum Dei nomine votum aliquod relaxat, adeo ut hâc matrimonii rati dissolutione, non tam homo, quàm Deus separet quæ conjunxit.

Q. 3. *An etiam matrimonium consummatum possit aliquando dissolvi quoad vinculum?*

R. 1. Matrimonium consummatum fidelium nullo casu dissolvi potest, nisi à Deo ut supremo creaturarum omnium domino, sicut dictum est suprà. Ita omnes Catholici contrà Græcos Schismaticos, item Lutheranos, Calvinistas, &c.

Prob. 1. Ex Scripturâ Matt. 19. *Quod Deus conjunxit homo non separet.* 1. Cor. 7. *Præcipio, non ego, sed Dominus uxorem à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptam; aut viro reconciliari*, quæ & similia, ex communi Ecclesiæ sensu intelligi debent de matrimonio consummato fidelium omnimodè indissolubili.

Prob. 2. Ex Trid. sess. 24. canon. 7. Florent. aliisque conciliis antiquioribus, & ex perpetuâ praxi Ecclesiæ, ac PP. consensu, apud Bellarm. c. 16.

Dices: Matt. 19. dicitur *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur*, ergo Christus ibi significat posse uxorem dimitti ob fornicationem.

R. Christum non esse intelligendum ibi de dimissione quoad vinculum, sed quoad thorum; & quidem de dimissione quoad thorum absolutâ, & in perpetuum, quæ ob solam fornicationem fieri potest. Nam dum uxor ob alias causas dimittitur quoad thorum, & habitationem, non dimittitur in perpetuum, sed recipi postea debet, si se emendaverit.

R. 2. Matrimonium consummatum infidelium, ex Divinâ permissione dissolvi potest si uno conjugũ ad fidẽ cõverso, alter cõverti nolit, nec cohabitare absque injuriâ & contumeliâ Creatoris. Ita expresse Innoc. III. cap. 7. de divortiis.

Prob. ex 1. Cor. 7. ubi cum Apostolus v. 12. & 13. dixisset, si conjux infidelis velit habitare cum fideli, non esse dimittendam: postea v.

15. addit *quòd si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater vel soror in hujusmodi.* hoc est ut communiter exponunt DD. Christianus, vel Christiana, eo casu nō subjicitur legi, seu vinculo prioris matrimonii.

Q. 4. *An, & quando fieri possit divortium?*

Divortium ex communi usu, est separatio conjugum, quoad thorum & habitationem, manente vinculo conjugali.

Cōstat ex Trid. sess. 24. can. 8. illud ob varias causas fieri posse.

R. 1. Fieri potest divortium ob conjugis alterius adulterium. Cùm enim hâc in re pares sint conjuges, æquè potest uxor facere divortium ob adulterium mariti, quàm contra.

Porrò nomine adulterii hìc etiam venit sodomia cum alio commissa, & bestialitas, non tamen tactus impudici, immò nec mollities etiam cum alio commissa. Contra Sà V. *divortium.*

Nota 1. Adulterium non sufficere ad divortium, quando ab utroque commissum est. Neque si maritus uxorem etiam consentientem prostituat, aut in ejus adulterium saltèm implicitè consentiat, v. g. dando proximam causam, vel non impediendo cùm facilè possit. Neque si pars innocens alteri condonarit etiam tacitè tantùm, v. g. si post adulterium certò cognitum liberè alteri debitum reddiderit.

Quòd si conjux non omninò coactè, sed per metum gravem adulterium admittat; negant aliqui cum Bonac. posse eam ab innocente dimitti. Probabiliùs tamen affirmant alii cum Sanchez, quia talis metus eam ab adulterii etiam formalis culpâ non excusat, quemadmodum excusaret violentia, aut bona fides, quo alienum cognosceret existimans esse suum, aut suum jam esse mortuum.


Nota 2. Partem nocentem posse debitum pe-

tere donec à comparte rejiciatur, nec innocentem posse negare, nisi de alterius adulterio omninò constet; quod ubi constiterit, potest innocens propriâ authoritate separari quoad thorum: quoad habitationem verò requiritur authoritas Iudicis.

Nota 3. Innocentem facto divortio ob adulterium, posse absque conjugis consensu Religionem ingredi, quod non potest pars nocens, etiam post divortium sententiâ Iudicis factum, nisi compars saltèm tacitè consentiat. Ratio disparitatis est, quia innocens semper retinet jus revocandi ad se adulterum; vide Dianam p. 3. tract. 4. ref. 257.

R 2. Potest fieri divortium ob compartis sævitiam, hæresim, & generaliter quando non possunt conjuges simul habitare, nisi cum gravi periculo corporis, vel animæ, v. g. ob compartis furorem, lepram, aut alium morbum contagiosum &c.

R. 3. Possunt conjuges facere divortium ex mutuo consensu, non tantùm quoad thorum, sed etiam quoad habitationem, modò absit scandalum, & periculum incontinentiæ. Si tamen unus ex eis post consummatum matrimonium de alterius consensu Religionem ingrediatur, debet & alter ingredi. cap. *cùm sis* de conversione conjugatorum. Excipitur tamen uxor valde senex & sterilis, quæ possit esse in sæculo sine suspicione. Quod aliqui extendunt etiam ad virum valde senem. Ut autem vir sacros Ordines recipiat, sufficit si ab uxore castitatem in sæculo vovente, à debito thori, & cohabitationis absolvatur capit. *conjugatus.* eodem.



CAPUT VI.

De actu, & debito conjugali.

Q. 1. *An actus conjugalis sit licitus?*

R. Esse licitum, si honestetur debito fine, nempe ad propagandam sobolem, ad vitandam incontinentiam, sive in se, sive in comparte &c. si tamen exerceatur purè ob delectationem, non caret culpâ veniali. Damnata siquidem est ab Innoc. XI. hæc propositio. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpâ, ac defectu veniali.*

Q. 2. *An, & quomodò obliget debitum conjugale?*

R. Tenetur conjux per se loquendo suæ comparti debitum petenti reddere. Patet ex 1. Cor. 7. *uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

Dixi: *per se loquendo*, quia varia sunt quæ excusant à redditione debiti, ut notabile incommodum, morbus, periculum contagionis &c. non excusantur tamen conjuges à redditione debiti prætextu devotionis, vel simultatum, quæ sub inde inter illos nascuntur, maximè si sit periculum incontinentiæ in comparte.

Q. 3. *Quale sit peccatum denegatio debiti?*

R. Esse ex genere suo mortale utpotè contrà justitiam in re gravi. Intellige quando unus seriò

& instanter petit, & alter præcisè negat sine justâ causâ: nam multa excusare possunt à peccato gravi, vel etiã ab omni, non solũ propter morbũ aut similes rationes, de quibus suprà, sed etiam quia petens, vel non intendit urgere in rigore suum jus, sed potiùs impetrare rogando, vel nimis frequenter, aut importunè petit citrà necessitatem, & periculum incontinentiæ, vel non est compos sui ut in ebrietate &c.

Q. 4. *An reddi possit debitum conjugi illicitè petenti?*

R. Si actus conjugalis hîc & nunc sit illicitus ratione circumstantiæ tenentis se ex parte ipsius actûs immediatè, ut si exerceri nequeat sine periculo abortûs &c. reddi non potest. Si verò actus sit illicitus petenti, ratione circumstantiæ se tenentis immediatè ex parte ipsius petentis, videndum est an ista circumstantia talis sit, ut eâ non obstante adhuc sit in potestate petentis hîc & nunc licitè petere si velit, ut dum petit intendens finem malum, quem potest non intendere, & tunc tenetur compars petenti reddere, quia licèt tunc alterius peccato cooperetur physicè, non tamen moraliter. Si verò talis sit circumstantia, ut ratione illius non sit in potestate petentis hîc & nunc petere licitè, ut si voto castitatis sit obstrictus, Pontius & Hurtado tenent comparem sic petenti non posse reddere, quia cooperaretur peccato alterius etiam moraliter. Sanchez tamen & alii, putant etiam tunc posse reddere.

Q. 5. *An dubitans de valore matrimonii, possit debitum petere vel reddere?*

R. 1. Qui malâ fide contraxit cum dubio de valore matrimonii, manente dubio, non potest debitum petere. Tenetur tamen reddere cap. *dominus* de secundis nuptiis.

R. 2. Si post matrimonium bonâ fide contractum

superveniat dubium de ejus valore; tenetur dubitans veritatem inquirere. Interim non potest petere debitum, nè ultrò se exponat periculo fornicationis; tenetur tamen reddere ob periculum faciendi contrà jus alterius. Si adhibitâ sufficienti diligentiâ non possit scire veritatem, potest petere & reddere, quia est in possessione.

Hinc cap. *inquisitioni* de sentent. excommun. dicens dubitantem posse reddere, non petere, intelligi debet de dubitante qui non præstitit debitam diligentiam in inquirendâ veritate. Si tamen quis moraliter certus sit de nullitate, quamvis illam probare non possit, non potest reddere.

Q. 6. *An aliquando obligentur conjuges petere debitum?*

R. Per se non obligari, per accidens tamen ad id obligantur 1. si alter (præcipuè uxor) implicitè, vel interpretativè petat, non audens ex verecundiâ apertè petere.

2. Si alioqui sit periculum incontinentiæ in comparte, sed hæc obligatio est solùm charitatis.

3. Ad avertendum grave damnum, maximè Rei publicæ, v. g. dissidia Regni, si Princeps prole careat &c.

Q. 7. *Quibus casibus actus conjugalis sit illicitus?*

R. Qui durante matrimonio committit incestum cum cōsanguineo, vel consanguineâ conjugis intrà quartum gradum, ubi Trid. non est receptum, vel ubi receptum est in 1. vel 2. gradu, reddere quidem potest, non tamen petere debitum cōjugale cap. 1 & penult. de eo qui cognovit & Trid. sess. 24 c. 4. de reform.

Probabile tamen est ignorantiam seu juris, seu facti, immò & pœnæ excusare.

Cæterùm in hoc dispensare potest Episcopus, & nonnulli regulares ex privilegio.

R. 2. Tenent multi actum conjugalē esse illicitum

si conjuges propriam prolem extrà necessitatem baptizent, vel suscipiant tamquàm patrini in baptismo, vel confirmatione.

R. 3. Conjux voto castitatis astrictus, non potest debitum petere, tenetur tamen petenti reddere nisi fortè alter, voto similiter obstrictus, renuntiasset Iuri petendi.

R. 4. Qui contraxit cũ voto ingrediendi religionẽ vel suscipiendi ordinem sacrum, peccavit quidem contrahendo, vel consummando matrimonium, dum ipsi liberum erat votum implere, sed consummato matrimonio potest petere, & reddere debitum, si tamen contingat eum acquirere jus dimittendi compartem, v. g ob adulterium ejus, putant varii ad hoc teneri, ut votum impleat. Verùm cùm habens votum possit adulteranti culpam condonare, etiam potest illi suum jus restituere, & debitum reddere. Coninck hic.

R. 5. Illicitus est actus conjugalis cum periculo abortûs, aut similis incommodi. Eo tamen secluso, non est illicitum accedere ad uxorem gravidam, & ipsa tenetur reddere debitum. Non est etiam peccatum saltèm grave seclusis incommodis accedere ad uxorem statim a partu, aut tempore menstruorum.

R. 6. Graviter illicitus est si fiat aliter quàm intra vas naturale, aut cum periculo effusionis seminis; eo autem secluso, non est ex genere suo mortale immutare situm, aut modum naturalem, servato vase legitimo. Est tamen saltèm veniale sic petere sine justâ causâ.

R. 7. Censent multi illicitũ esse in Templo. Quo nomine solùm intelligitur ipsum corpus Templi, hoc est spatium quod est inter tabulatum, & pavimentum, ac parietes. Negant alii probabiliter, Hurtado, Pontius, &c. si occulta sit copula, quia nempe non polluitur Ecclesia, nisi per illi-

citam, eamque publicam feminis effusionem. Et hoc maximè verum est si conjuges maneant in Templo inclusi (ut tempore bellorum) ad longum tempus, puta ad mensem secundùm Sanchez, ad decem dies secundùm Fagundes, vel etiam tres aut quatuor secundùm Suarez.

R. 8. Est graviter illicitus in loco publico, seu coram aliis exercitus, tum ratione scandali, tum ratione turpitudinis istius actûs taliter exerciti.

R. 9. Die Festo, vel jejunii, vel communionis, est quidem indecens, & eo nomine subinde à PP. reprehensus, non tamen illicitus, cùm id nullo jure prohibeatur.

CAPUT VII.

De impedimentis Matrimonii.

IMpedimenta matrimonii alia dicuntur impedientia, alia dirimentia. *Impediens* est illud quo matrimonium redditur illicitum, sed non invalidum. *Dirimens* est quo redditur invalidum.

Q. 1. *Quæ sint impedimenta impedientia?*

R. Ea revocari ad 5. capita hoc versu comprehensa.

Tempora, mandatum, vetum, sponsalia, crimen.

1. Sunt *Tempora*, Adventûs, Quadragesimæ, quibus prohibetur celebrari nuptias solemnes. Quamvis autem jure communi solùm videatur istis temporibus prohibita solemnizatio, jure tamen particulari quarumdam Ecclesiarum, non

permittitur tunc matrimonium, etiam non solemnizatum, nisi adsit causa specialis, & licentia Ordinarii. Vide Sylvium.

2. Est *mandatum*, seu Ecclesiæ prohibitio nè quis contrahat interim dum dubium est de impedimento dirimente.

3. *Votum* simplex castitatis in sæculo, vel ingrediendæ Religionis, vel Ordinis Sacri suscipiendi. Votum autem solemne castitatis, est impedimentum dirimens.

4. *Sponsalia* priùs inita cum aliquâ tertiâ personâ.

Hæc sola quatuor impedimenta modò sunt in usu. Olim erant multò plura, quorum pleraque erant crimina, & ideò pro quinto additur ly *crimen*.

Q. 2. *Quænam sint impedimenta dirimentia?*

R. Post Trid. sunt quindecim, his versibus comprehensa.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus & impos,
Si *mulier sit rapta, loco nec reddita tuto.*

Error 1. Si sit circa substantiam personæ, irritat matrimonium, non tantùm jure positivo, sed etiam naturali, quia nempe talis error tollit consensum substantialem sublato ejus objecto directo, & principali. Unde Lia pro Rachele supposita & obtrusa Iacobo (Gen. 29.) non fuit verè ejus uxor, nisi post Iacobi consensum.

2. Si error sit tantùm circa accidens, v. g. qualitatem personæ, divitias, nobilitatem, pulchritudinem, &c. non irritat matrimonium, etiamsi fortè causam dederit, sic ut non fuisses contracturus, nisi te qualitates illæ existimatæ movissent. Ratio est quia non obstante illo errore habetur

consensus absolutus in personam præsentem, & substantiam contractûs.

Excipe 1. nisi qualitas redundet in personam atque ita tollat objectum substantiale consensûs. Ut si intẽdas contrahere cũ primogenitâ quã aliter nõ nosti, & ejus loco obtrudatur secũdò genita.

Excipe 2. nisi consensus esset conditionatus. Nam si non absolutè consenseris, sed sub conditione talis qualitatis, & non aliter, eâ non subsistente, matrimonium nullum est. Verùm quamdiu conditio exteriùs non exprimitur, non censetur contractus esse conditionatus, ideoque quantumvis interiùs consenseris tantùm conditionatè, *si sis dives*, *si sis nobilis &c.* cogeris illam ducere, & consensum absolutum ponere.

Conditio nempe conditio servilis ignorata, seu cùm quis contrahit cum mancipio, credens esse liberam. Cap. *si quis ingenuus* 29. q. 2. item cap. 2. & 4. de conjugio servorum. Si verò servus ducat servam putans esse liberam, stat matrimonium, quia par est utriusque conditio.

Votum 1. votum solemne castitatis in Religione approbatâ Trid. sess. 24. can. 9. & variis aliis juribus.

2. Vota simplicia Societatis emitti solita post biennium Novitiatûs. Ex Bullâ Greg. XIII. *ascendente Domino* 1584.

3. Votum solemne castitatis quod annexum est susceptioni majorum Ordinum.

Nota vim illam quam habet professio Religiosa dirimẽdi matrimonium, esse solũ juris Ecclesiastici, Cum ipsa votorũ solẽnitas etiã sit solũ juris Ecclesiastici, ut patet ex dictâ Bullâ Greg. XIII. & cap. unico de voto in 6.

Cognatio. Triplex est cognatio. 1. Naturalis, quæ dicitur *consanguinitas*, & est propinquitas sanguinis inter personas vel ab eodem stipite descendentes

cendentes, ut frater & soror, vel quarum una descendit ab alterâ, ut pater & filia.

2. Est *Cognatio spiritualis.* Et est quædam propinquitas Iure Canonico proveniens ex Baptismo, & Confirmatione. Est duplex una dicitur paternitas, & est ea quæ oritur inter baptizantem, confirmantem, aut patrinum seu suscipientem ex unâ parte, & inter baptizatum, aut confirmatum ex alterâ. Secunda dicitur *compaternitas*, & est ea quæ oritur inter baptizantem, confirmantem, aut patrinum ex unâ parte, & inter parentes carnales, seu patrem & matrem ex alterâ. Ea quæ olim erat inter filios baptizantis &c. ex unâ parte & baptizatum ex alterâ, & dicebatur confraternitas, sublata est à Trid. seff. 24. cap. 2. de reform.

Tertia cognatio est *legalis.* Est propinquitas quæ oritur ex adoptione perfectâ, quâ ex Principis consensu aliquis adoptatur in filium, ita ut transeat in Patriam potestatem.

Nota 1. in consanguinitate dari lineam, seu seriem personarum sanguine junctarum constantem certis gradibus secundùm majorem & minorem propinquitatem.

Duplex est ejusmodi linea, alia recta, alia transversa, seu lateralis.

Linea recta dicitur, quæ ducitur à stipite, ad eos qui ab eodem directè procedunt. Et hæc linea aliter dicitur ascendentium & descendentium.

Linea transversa seu lateralis, ea dicitur quæ continet personas descendentes quidem ab uno stipite communi, sic tamen ut nulla illarum descendat ab alterâ: ut fratres, consobrini.

Nota 2. Gradus in his lineis peti penes distantiam unius personæ ab aliâ in ordine propinquitatis. Porrò ad gradus illos discernendos, traduntur hæ regulæ.

1. In lineâ rectâ, tot gradibus unus distat ab

alio, quot generationibus ab eo descendit. Hinc filia distat à patre uno gradu, neptis ab avo duobus, & sic deinceps.

2. In lineâ laterali si personæ æqualiter distent à stipite seu à personâ à quâ initium ducitur, eo gradu distant inter se quo distant à stipite. Hinc frater & soror se contingunt in primo gradu, quia uno gradu distant à patre; eorum proles se contingunt in secundo gradu, quia duobus gradibus distant ab avo, à quo initium ducitur, & sic de cæteris.

3. Si consanguinei inæqualiter distent à communi stipite, in eo gradu se contingunt, quo remotior distat à stipite: Hinc si unus distet à stipite duobus gradibus, & ejus consanguinea tribus, contingunt se solùm in tertio gradu &c. unde sequitur consanguineos, quorum unus distat à stipite quatuor gradibus, altera quinque, non esse cognatos nisi in quinto gradu, quæ cognatio, ut dicetur, non dirimit matrimonium.

Nota 3. in hâc materiâ sequendam esse quoad gradus computandi rationem Iuris Canonici quam modo descripsimus, non Iuris Civilis, quæ est diversa pro gradibus in lineâ laterali. His prænotatis.

Dicendum 1. Quamvis olim consanguinitas in utrâvis lineâ dirimeret matrimonium, usque ad septimum gradum inclusivè, cap. *ad sedem* 35. q. 5. nunc tamen non dirimit in lineâ transversâ, nisi usque ad quartum gradum inclusivè cap. *non debet* de consanguinitate.

Dixi *in lineâ transversâ*, quia multi putant consanguinitatem in lineâ rectâ dirimere matrimonium jure naturæ, non solùm in primo gradu (quod videtur certum, tum ob reverentiam suo principio immediato debitam, tum naturali omnium gentium instinctu) sed etiam in infinitum.

Alii tamen non minùs probabiliter putant solùm in primo gradu matrimonium dirimi jure naturæ in lineâ rectâ. An autem etiam in primo gradu lineæ lateralis dirimatur jure naturæ, magis dubium est. Negant plures, Cajet. Coninck. Pont. Præp. Hurtado, &c. affirmant alii cum Sanchez l. 7. disp. 52. & verò negari non potest in eo quòd frater ducat sororem suam, magnam esse indecentiam. Unde Pontifices licèt aliquando requisiti, nunquam leguntur in primo gradu lineæ lateralis dispensasse.

2. Cognatio spiritualis ante explicata, nempè paternitas, & compaternitas, dirimit matrimonium, non alia. Trid. sess. 24. c. 2. citato. Nulla est igitur cognatio inter patrinum ex unâ parte, & matrinam ex alterâ. Neque inter baptizatum, aut confirmatum ex unâ parte, & proles patrinorum ex alterâ.

3. Cognatio legalis dirimit matrimonium inter adoptatum & adoptantem, ejusque proles, & uxorem. Item inter adoptantem, & filios adoptati, ac nepotes.

Crimen: præter raptum, de quo postea, duo sunt crimina quæ dirimunt matrimonium contrahendum.

1. Est homicidium, quando scilicèt ex conspiratione duorum (etiam absque prævio adulterio) occiditur conjux unius, ut postea matrimonium inter se ineant; vel præcedente adulterio, alteruter procurat mortem alterius conjugis, ex intentione contrahendi cum superstite, etiam seclusâ conspiratione.

2. Est adulterium etiam absque homicidio, quando scilicèt adulteri, vel ante, vel post adulterium, quantum est de se matrimonium ineunt? adhuc vivente comparte, vel saltem promittunt se initu-

ros illâ mortuâ. Ad hoc autem, 1. sufficit promissio unius licèt non sit mutua, modò tamen sit seria, & ab altero acceptata. 2. Debet adulterium esse consummatum, & quidem scienter ut tale ab utroque commissum.

Cultûs disparitas. Ex hoc capite invalidū est matrimonium inter baptizatum & non baptizatam, quamvis cathecumenam, & contra: idque probabilius jure Ecclesiastico tantùm, & quidem non scripto, sed per antiquissimam, & universalem consuetudinem inducto. Undè validè iniri posset ex dispensatione Pontificis. Et vero PAULUS V. anno 1616. concessit Episcopo Funajensi in Japoniâ, & Patribus Societatis JESU in Chinâ ut ad decennium dispensare possent in hoc impedimento, ut habetur in Bullâ, quam idem Pontifex concessit P. Nicolao Trigautio, quæ incipit *ut animarum saluti.*

Matrimonium Catholici cum baptizatâ infideli, & contra, est validum, sed illicitum. Potest tamen secluso scandalo, & periculo perversionis reddi licitum ex dispensatione pontificis. Immò in Germaniâ & aliis locis ubi hęretici pacificè vivunt permixti Catholicis, probabile est Catholicum licitè contrahere cum hæreticâ, & contra: modò (quod rarò fit) absit periculū perversionis, tum in contrahēte, tum in filiis, Sanchez, Azor, Busembaum &c.

Vis, seu coactio impediens libertatem consensûs.

Ordo nempè sacer, Subdiaconatûs, Diaconatûs Presbyterii, ob annexum votum solemne castitatis.

Ligamen seu vinculum prioris conjugii, sive rati tantùm, sive consummati.

Nota conjugem dubitantem de morte compartis ob diuturnam ejus absentiam, non posse transire ad alias nuptias, sed requiri certitudinem mo-

ralem, qualis esset v. g. si unus testaretur se vidisse illum mortuum, accedentibus præsertim quibusdam aliis indiciis. putat Bonac. q. 3. p. 10. n. 14. ad id sufficere, si quis prælium ingressus non ampliùs compareat, & fama, aut litteræ eorum qui prælio interfuerunt, referant illum esse mortuum.

Cap. in præsentiâ 19. *de sponsal. & matrim.* in quo Clem. III. concludit. *Nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.*

Cæterum si post contractas bonâ fide secundas nuptias superveniat rationabile dubium de morte prioris conjugis, potest adhuc reddere debitum, & interim inquirere. Vbi autem certò constiterit de vitâ, nequidem reddere potest, sed debent quàmprimùm separari.

Honestas, seu justitia publicæ honestatis, est quædam affinitas solo jure Canonico inducta, quæ ex sponsalibus validis, vel matrimonio rato oritur inter sponsum, & consanguineos sponsæ &c. Hæc affinitas post Trid. si ex sponsalibus oriatur, dirimit matrimonium tantùm usque ad primum gradum, si ex matrimonio rato, usque ad quartum. Non oritur ex sponsalibus conditionatis ante eventum conditionis.

Amens. Amentia, & quicumque defectus usûs rationis, dirimit matrimonium, quatenus excludit consensum deliberatum ad cujuscumque contractûs valorem necessarium.

Furiosus tamen habens lucida intervalla, validè in illis contrahit; licèt non expediat ob incommoda.

Ad hoc impedimentum reducitur *defectus ætatis*, quæ de jure tam Canonico, quàm Civili, debet esse in masculo 14. annorum, in fœminâ 12. completorum, saltèm sic, ut ultimus dies jam sit inchoatus, tunc enim censentur puberes. Si tamen

malitia suppleat ætatem, hoc est si ante 14. vel 12. annos adsit sufficiens discretio, & potentia ad generationem, poterunt eo ipso validè contrahere.

Affinis. Affinitas est propinquitas personarum proveniens ex copulâ carnali perfectâ, seu licitâ; seu illicitâ.

Dixi *perfectâ*, quia ad affinitatem non sufficit penetratio vasis fœminei, sed requiritur seminatio, saltèm viri.

Porrò affinitas ex copulâ licitâ, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè, perindè ac consanguinitas. At si oritur ex copulâ illicitâ, tantùm dirimit usque ad secundum inclusivè. Trid. sess. 24. c. 4. citato.

Nota 1. quia post Concilium Lateranense ex cap. *non debet* de consanguinitate, affinitas non ampliùs parit affinitatem, sed sola consanguinitas, ideò semper videndum est an persona cum quâ vis contrahere, sit consanguinea, an tantùm affinis ei personæ quam carnaliter cognovisti: nam si sit consanguinea, hoc ipso factus es affinis ei personæ quam vis ducere: si verò sit tantùm affinis, nullam cum eâ contraxisti affinitatem.

Hinc si cognovisti Caiam viduam, non potes ducere Titiam ejus sororem, potes autem si Titia sit tantùm soror mariti Caiæ defuncti.

Ex quo sequitur, valida esse matrimonia, quæ contrahunt duæ sorores cum duobus fratribus, aut quòd filia uxoris ex alio matrimonio contrahit cum filio mariti etiam ex alio matrimonio suscepto, aut denique quod init Titius cum Viduâ fratris uxoris suæ jam defunctæ &c.

Nota 2. in affinitate lineas & gradus eodem modo computari quo supra in consanguinitate, ac proinde, sicut mater uxoris tuæ est consanguinea uxori in primo gradu lineæ rectæ, ita est tibi affi-

nis in primo gradu ejusdem lineæ. Similiter sicut soror uxoris tuæ est consanguinea uxoris in primo gradu lineæ lateralis, ita est tibi in eodem gradu affinis, & sic de aliis.

Clandestinus. De matrimoniis clandestinis dictum est supra c. 4.

Impos. Impotentia in proposito, est incapacitas exercendi copulam de se sufficientem ad generationem.

Alia est *absoluta*, cùm quis absolutè est incapax exercere copulam cum qualicumque personâ.

Alia *respectiva*, & est incapacitas exercendi copulam cum certâ aliquâ personâ.

Item alia provenit ex mâleficio, & dæmonis cooperatione, v. g. ligamine ligulæ &c. alia ex corporis constitutione, v. g. ex nimiâ naturæ frigiditate in viro, arctitudine in fœminâ, item ex testiculorū carentiâ, vel eorumdem excisione &c. denique alia est perpetua, quæ vel nullâ arte humanâ, vel non sine vitæ periculo, vel non sine magno cruciatu, vel non sine peccato auferri potest. Alia temporalis, quæ citra ista auferri potest arte humanâ. Vide Bonac. Hurtado, &c. igitur

1. Impotentia perpetua, proveniens sive à naturâ, sive à maleficio, dirimit matrimonium jure naturæ.

2. Impotentia perpetua absoluta, & respectu omnium, dirimit respectu omnium. Si autem sit respectiva, dirimit tantùm respectu eorum, respectu quorum est impotentia.

3. Impotentia etiam perpetua, matrimonio jam contracto superveniens, illud non dirimit.

4. Impotentia tantùm temporalis: nullo jure irritat matrimonium.

5. Si dubitetur num impotentia sit perpetua, Ecclesia triennium experientiæ concedit, cap. *Laudabilem* de frigidis. Quòd si eo exacto copula

exerceri non potuerit, præsumitur impotentia esse perpetua. Quòd si tamen post conjugum separationem deprehendatur impotentia fuisse tantùm temporalis, conjuges redire debent ad priùs matrimonium, etiam eo rescisso, quod forsan postea contraxissent.

Nota tamen 1. si impotentia quæ de se erat perpetua, postea curetur vel miraculo, vel etiam ope dæmonis, vel alio remedio cum extraordinariis cruciatibus conjuncto, v. g. cum incisione (quam mulier ob arctitudinem viro improportionata pati probabiliter non tenetur) vel similibus, non desinit matrimonium cum eâ impotentiâ contractum esse nullum, ideoque postmodum revalidari debet. vel certè potest aliud cum aliâ personâ contrahi. Vide Dian. p. 3. tr. 4. res. 201. quamquam Bonac. q. 3. p. 13. n. 13. & alii qui putant fœminam teneri isto casu pati incisionem, consequenter dicere debeant arctitudinem, quæ incisione saltèm citra vitæ periculum curari potest, non esse impotentiam perpetuam.

Nota 2. impotentiam, ortam ex maleficio antecedente matrimonium, censeri perpetuam, si maleficium inductum sit per sola verba, vel actionem transeuntem, quæ nihil post se relinquat, quia nempe tunc tolli nequit sine novo maleficio, seu novâ dæmonis invocatione, aut certè nisi per miraculum.

Aliud est si ordinariis Ecclesiæ exorcismis curari possit: licèt enim vi exorcismorum aliquid fiat supra naturæ vires, non tamen censetur propriè miraculum, quia exorcismi sunt remedia ordinaria ab Ecclesiâ instituta.

Quòd si impotentia inducta sit per signa (v. g. per nodos ligulæ, volumina capillorum &c.) quibus sublatis cesset impotentia, tunc impedimentum censetur temporale, quia signa ista tolli pos-

sunt non tantùm in dæmonis contemptum, sed etiam præcisè ex spe maleficii cessaturi, modò non sit opus novo maleficio. Lessius de Iure & Iust. lib. 2. c. 44. n. 36. Præpos. q. 7. n. 188. & alii cum Henrico, Gabriele, Cajetano, &c. contra Estium &c.

Nota 3. sterilitatem non esse impotentiam, quia eâ non obstante haberi possunt essentialia copulæ per se sufficientis ad generationem, licet per accidens non sequatur generatio defectu alicujus qualitatis ex parte seminis aut aliundè. Vide Bonac. q. 3. p. 13. n. 17.

De perfectè eunuchis, utroque teste carētibus, extat Epistola Sixti V. data ad Nuncium Apostolicum Hispanum anno 1687. quâ tales declarat invalidè cum quibuslibet contrahere matrimonium, eo quod certum sit eos verum semen emittere nō posse, licèt forsan humorem quemdam semini similem, sed ad generationem minimè aptum effundant. Pro quo vide Sylvium, Præp. &c.

De hermaphroditis, vide Sanchez lib. 7. dis. 106.

De senibus & infirmis dicendum, si quis ratione senectutis sit omninò inhabilis ad copulam in perpetuum, nec sit spes posse ullis medicamentis vires illius instaurari, invalidè contrahet, quia ex statu connaturali est impotens. Secùs si ex morbo accidentali id oriatur, nec morbus intrinsecam potentiam exercendi copulam ademerit, quod præsumi non solet. Hinc valet matrimonium agonizantis cum concubinâ. Vide Sanchez disp. 105. n. 3. & disp. 108. n. 21. Coninck. disp. 31. n. 88. &c.

Raptus: quo sc: vir puellam renitentem è domo suâ violentè abstrahit, dirimit matrimonium inter raptorem & raptam, licèt puella liberè consentiat nondùm posita extrà potestatem raptoris.

Raptor autem & omnes Fautores, eo ipso excommunicantur &c. Trid. sess. 24. c. 6. de refor. matrim.

Nota 1. Si rapta, cum loco libero & tuto reddita fuerit liberè consentiat, valebit matrimonium.

2. probabile est non censeri raptum sequentibus casibus.

1. Si *Puella volens*, sed invitis parentibus rapiatur. Sanchez. Hurtado Con. Diana p. 3. tr. 4. res. 261. contrà quosdam apud Dianam ibid.

2. *Si non vi, nec metu, sed dolo* abducta sit.

3. *Si non abducatur de loco in locum*, ut si non abducatur è domo, sed tantùm de uno cubiculo in aliud. Item si reperta in agro ad aliquot tantùm passus abducatur. Vide Sanchez l. 7. disp. 13i n. 7. & 12. Item Barbosa in Trid. loco cit. n. 12.

4. Si non abducatur matrimonii causâ, sed solius libidinis, & interim matrimonium contrahatur, dum rapta adhuc est in potestate raptoris, Dian. ibid. Sanchez, Coninck Barbosa ibid. n. 2.

5. Probabiliter non censetur raptus si mulier virum abducat, isque liberè consentiat dum est in potestate raptricis. Barbosa n.7. Item probabiliter nec si sponsus sponsam rapiat. Barbosa n. 9. cum variis contrà Hurtado, Sanchez & alios.



CAPUT VIII.

De Dispensatione in impedimentis matrimonii.

Q. 1. *Quis possit dispensare in impedimentis?*

Suppono Episcopum posse dispensare in impedimentis tantùm impedientibus. In iis autem, quę dirimentia sunt jure naturę, nempè impedimento erroris, consanguinitatis in primo gradu lineæ rectæ, ligaminis, amentiæ, impotentiæ, ne quidem Pontificem dispensare posse, cum Christus eam potestatem Ecclesię suæ non concesserit, ut patet ex praxi. Undè hic sermo est de iis impedimentis, quæ dirimentia sunt jure tantùm Ecclesiastico.

R. 1 Solus Pontifex potest potestate ordinariâ dispensare in ejusmodi impedimentis jure Ecclesiastico dirimentibus, idque etiam sine causâ, quamvis tunc valida quidem, sed illicita futura sit dispensatio.

R. 2. Quamvis Episcopus non possit potestate ordinariâ validè dispensare in impedimentis dirimentibus, cùm ea posita sint à Pontificibus, aut conciliis generalibus, potest tamen extraordinariè, & pro foro conscientiæ, ex tacitâ Pontificis licentiâ dispensare post contractum matrimonium, nempè positis conditionibus, de quibus mox. Sanchez Pont. Hurt. Bonac. Con. Guttier. Diana, p. 2. tract. 2. Miscel. ref. 19. qui addit esse probabile id etiam posse Episcopum ex urgentissimâ necessitate ante contractum matrimonium.

Ut autem validè dispenset Episcopus, commu-

niter requiruntur hæ conditiones.

1. Ut impedimentum sit occultum, matrimonium autem publicum.

2. Ut conjuges separari nequeant nisi ægrè, & cum scandalo.

3. Ut recursus ad Pontificem aut nuntium sit difficilis propter paupertatem conjugum, locorum distantiam, aut alia impedimenta legitima, aut certè dispensatio differri nequeat absque probabili periculo peccandi.

Addunt communiter etiam requiri ut matrimonium bonâ saltèm unius fide contractum fuerit. Præp. tamen q. 8. n. 12. putat in casu aliquo extraordinario probabiliter posse dispensari ab Episcopo, etsi matrimonium malâ utriusque fide contractum sit. Uide Henriq. l. 12. c. 3. n. 1. lit. K in comm.

Q. 2. *An valida sit dispensatio si causa ob quam datur non subsistat?*

R. Non esse validam: & ideo meritò dubitari potest an validæ sint dispensationes in impedimento consanguinitatis dari solitæ pro Belgio, sub hâc clausulâ, *si periculum aliàs sit contrahendi cum hæretico occulto*; an inquam validæ sint etiam in iis locis, in quibus nullum est moraliter tale periculum. Vide Præp. q. 8. n. 32. qui in hoc patitur difficultatem.

Alii tamen volunt praxim jam universaliter obtinuisse ut etiam in iis locis valida sit ejusmodi dispensatio, quia supponitur illa clausula addi ex antiquo stylo curiæ, non tamquam causa motiva, seu finalis dispensandi, sed impulsiva tantùm, id est sine quâ dispensaretur quidem, sed non tam facilè, vel certè dispensatio non nititur intrinsecè isto motivo.

Q. 3. *Quandonam causa motiva dispensandi reipsâ existere debeat, ut valeat dispensatio?*

R. Si post dispensationem factam à Commissario, sed nondum contracto matrimonio, non ampliùs subsistat causa petitæ dispensationis, probabile est adhuc subsistere dispensationem. Quia jam gratia absolutè facta est. Pontius, Præpos. Sylvest. v. *dispensatio*. Guttier, Diana p 1. trac. 10. de legibus resol. 41. contra Sanchez, & alios apud ipsum etiam probabiliter id negantes.

Quòd si causa subsistat dum Pontifex dat commissionem dispensandi, sed defecerit antequam commissarius de facto dispenset, probabiliùs non subsistit dispen satio. Præp. Sanchez &c. contra Emmanuelem Sa. v. *gratia* n. 6. & alios. vide dicta supra in Tract. de Legibus. Cap. 8. q. 5. & sequentibus.

Q. 4. *An ad valorem dispensationis in impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, necessarium sit fieri mentionem copulæ, si ea inter consanguineos, aut affines præcesserit.*

Ratio dubitandi est quòd stylus curiæ expressionem copulæ requirat.

R. 1. Si copula quidem præcesserit, sed nõ consummata, vel non incestuosa formaliter ob unius saltèm ignorantiam, valebit dispensatio non obstante hâc clausulâ, *modò copula non præcesserit*, quia intelligitur de perfectâ, & formaliter incestuosâ. Vide Sanchez l. 8. disp. 25. n. 10.

R. 2. Etiam probabiliter non requiri expressionem copulæ, licèt fuerit perfecta & incestuosa, sed occulta, dispensatio autem petita fuerit non tantùm pro foro interno (sicut fit quando petitur à sacrâ pœnitentiariâ) sed etiam pro externo. Pontius, Hurtado Præp. &c. ratio est, quia clausula apposita dispensationi debet intelligi juxta materiam, & naturam dispensationis: ergo quamdiu conditio per clausulam importata est occulta, nec probatur in foro externo, non debet censeri apposita.

Ad rationem petitam ex stylo curiæ respondent id tantum requiri pro foro exteriori, ac proindè in foro conscientiæ valere dispensationem. Addit tamen Hurtado, & meritò, si dispensatio petita fuerit & concedatur tantùm pro foro conscientiæ, & adjecta sit clausula: *dummodò copula non præcesserit: aut dummodo copula habita non sit spe facilioris dispensationis &c.* nullam dispensationem esse, si verè copula habita sit, aut habita sit cum spe facilioris dispensationis. Vide de his plura apud prædictos authores. Item Sanchez l. 8. disp. 25. n. 8. & sequent. Guttier l. 1. quæst. Canonic. c. 15. n. 21. & 25. Dian. p. 9. Tract. 7. res. 36. &c.

Q. 5. *An si matrimonium inter consanguineos aut affines contractum fuerit, seu tentatum ante dispensationem, explicari id debeat in petitione dispensationis?*

R. aff. hoc enim manifestè deducitur ex Trid. sess. 24. c. 5. de reform. matrimonii. Immò si matrimonium tentatum sit, aut consummatum spe facilioris dispensationis, hoc etiam speciatim exprimendum.

Q. 6. *An si quis habeat duo impedimenta debeat utrumque exprimere ad valorem dispensationis?*

R. aff. Hurtado, Sanchez & alii communiter, quamvis Henriquez, & alii apud Hurtado, putent id non esse opus quando utrumque est ejusdem rationis, ut si quis duas sorores carnaliter cognoverit, & velit ducere tertiam.

Q. 7. *An ad valorem dispensationis necesse sit exprimere gradum propinquiorem, si ii qui petunt dispensationem inæqualiter distent à communi stipite, ut si unus distet in secundo gradu, alter in tertio?*

R. neg. quia ut ante dictum est, sunt tantùm consanguinei in tertio gradu Præpos. Sanch. & alii. Quod ulteriùs probant ex constitutione 13. Pii V. ubi revocat constitutionem Pii IV. factam in oppositum.

Nota dispensationem censeri absolutam in foro interno eo ipso quo verbaliter concessa est. Pro foro tamen externo non censetur perfecta nisi confectis litteris. Præpos. q. 8. n. 48. & 49.

CAPUT IX.

De Revalidatione Matrimonii invalidi.

EX duplici capite generaliter loquendo contingit matrimonium esse invalidum, nempe ex defectu consensûs, quando vel uterque vel alter conjugum, non sufficienter in illud consensit. Et ratione impedimenti dirimentis; ad quod revocatur nullitas matrimonii ex illegitimitate parochi ubi Trid. est receptum, tunc enim censetur matrimonium clandestinum.

Q. 1. *Quomodo revalidandum est matrimonium invalidum, ob defectum occultum?*

R. Si matrimonium celebratum in facie Ecclesiæ sit nullum ob defectum occultum, & de quo non est periculum ut aliquando innotescat, potest revalidari clandestinè. secùs si defectus sit notorius. 2. Pars est communis & certa. 1. Est plurium Navarri, Sanchez, Præpos. Sylvii, Bonac. Coninck & aliorũ passim contra Pontium & Comit. Vide Dianam p. 2. tract. 1. miscel. resol. 5.

Prob. tum quia jam talis est praxis quotidiana Pœnitentiariæ Romanæ, quæ dispensando, in impedimento dirimente occulto, nunquam requirit renovationem consensûs in facie Ecclesiæ, tum quia in casu nostro cessat finis Trid. requirentis præsentiam Parochi, & testium, quia tunc publicè

& utrimque poni novus consensus de præsenti. Si autem subsit notabile incommodum, vel periculum, aut scandalum &c. ut sæpè fit, tunc conjux, conscius impedimenti, compartem benè dispositam, optimo modo quo potest, quærendo v. g. num se diligat? num parata esset secum contrahere si res adhuc esset integra? conetur paulatim inducere ad consentiendum de novo, & dicendum, *volo, & de novo te accipio in meum. perinde ac si nunquam accepissem*; & tunc ipse vicissim dicat se illam accipere: ubi tamen notandum est non sufficere si dicatur *vellem*, vel *acciperem*, &c. quia non esset consensus de præsenti.

Quòd si neque hoc sine gravi periculo, aut scandalo fieri possit, quia scilicet alter si sit sagax posset ex illo agendi modo extraordinario conjicere aliquid tale subesse, censent non pauci, Sanchez, Lessius, Angelus, Palud., Sotus, Bonac. &c. eo casu partem impedimenti consciam posse se conformare sententiæ non improbabili eorum qui docent sufficere quod consensum renovet interiùs & affectu maritali copulam exerceat, non monitâ, comparte de matrimonii nullitate. Vid. Dian. p. 4. tr. 4. res. 49. ubi dicit eam sententiam posse sine scrupulo observari.

Cæterùm quia hæc difficilia sunt & dubia, prudens Confessarius ex confessione deprehendens nullitatem alicujus matrimonii, non facilè de eâ pœnitentem moneat. sed potius illum in bonâ fide relinquat, si nimirùm prævideat non propterea abstenturum ab actu conjugali, aut futuras gravissimas difficultates in revalidando matrimonio, vel certè nisi pœnitens de matrimonii sui validitate dubitans eum consulat.

FINIS.

INDEX
ALPHABETICUS

Prior numerus Partem, posterior paginam designat.

A.

B.

C.

INDEX.

D.

INDEX.

E.

F.

INDEX.

G.

H.

I.

INDEX.

M.

Pœni-

N.

O.

P.

INDEX.

R.



S.

T.

V.

INDEX.



